dere dieser Zeiten geschrieben haben“: quum potius, num doctae fuerint, quaerendum ubique sit. Idem porro tempora permiscet, quum quarundam fabularum utrum poeta an scriba (?) nómen alterum invenerit addideritque, dubitat p. 67; melius, Dobraeo praeeunte, Blomfieldius Mus. Cantabr. II, 656 (Welck. p. 71) auctores fabulis suis tantum unum nomen dedisse, alterum grammaticos addidisse existimat. Item didascalica cum didascaliis permutat dicendo p. 69: „Die Dichter selbst oder die Didaskalieen scheinen in der Betitlung der Stücke nicht durchgängig dieselben Rücksichten befolgt zu haben.“ Vid. p. 450. 1243, ubi permiscentur didascaliae et commissiones fabularum: „Die Didaskalien (Pleiadis tragicae) waren vermuthlich tetralogisch nach Athenischer Art“ p. 876. 1572; tum de singulis fabularum argumentis p. 530. 628. 634. 697. 493. 511 etc. Idem denique Elmsleii et Blomfieldii explicationes videtur probare, qui illud οὐ σώζεται „was never published“ reddunt; item Clintonis (Mus. Philol. I, 85), qui binas partes fabularum Euripidis satyricarum, plures quoque Aeschyli nunquam factas iuris publici esse censuit, l. l. p. 449. Verum Ptolemaeus (de quo Welckerus p. 79. 1269) Euergetes, quum exemplar vel corpus dramatum (Lycurgeum, ut alibi exposui) posceret Athenienses, nonne integrum accepit? Etenim aut hoc statuendum est, aut prorsus incerta sunt omnia. Certe illud „published“ quam nihil sit fundamentoque careat, non est quod moneam. Plura id genus deprehendere licet apud praestantissimos philologos, ut Elmsleius ad arg. Medeae Euripidem saepius ne tertium quidem praemium reportasse nugatur. Cfr. Welck. p. 451. Ab aliis porro viris doctis, inter quos nomino unum Boeckhium: Veb. Lenaeen p. 87, a scriptoribus historiae literariae, quorum nomina referre nihil attinet, fragmentis didascalicis, quae hodie exstant, summa fides conceditur. Qua in re quam sit caute agendum, nunc Vesparum argumento, ad quod disputatio nostra tandem aliquando rediit, exponendo videbimus.

XVII. Quam facile argumenta didascalica corrumpi potuerint a librariis, quum per se appareat, luculentum corruptionis

exemplum exstat in argum. Pac. Ibi enim quum nunc legatur: ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει· πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτερσι (al. Φράτορσι). τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος, ἡνίκα Ἑρμῆν. λοιοκρότης (ita Bekkerus), Dindorfius coniecit ἡνίκα ἔτ' ἦν ὑποκριτής, Bergkius intactum reliquit, Rankius Vit. Ar. p. CCXV actorem secundarum partium, itaque Mercurii personam qui egerit, latere suspicatus est. At illud ἐνίκησε inepte dictum de poeta secundo praemio ornato; tum actorem secundarum partium nunquam nominatum esse certissime constat. Equidem duorum histrionum mentionem fieri duco, sed permista omnia. Etenim si illud ἐνίκησε retineamus, mutandus erit poetarum ordo. Tum primas Aristophanes, Eupolis secundas tulit, tum et Aristophanis et Eupolidis, utpote Leucone clarioris poetae, histrio memoratur, Leuconis periit. Tum igitur in hunc fere modum exhibeas antiquae didascaliae speciem:

Ἐν ἄστει
ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου
Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ πρ.
ὑπεκρ. Λεωκράτης (pro Λοιοκρότης)
Εὔπολις Κόλαξι δεύτ.
ὑπεκρ. Ἀπολλόδωρος
Λεύκων Φράτορσι τρίτ.
ὑπεκρ. .....

Vltima igitur argumenti verba sic emendem: ἐνίκα Εἰρήνῃ Λεωκράτης. An fragmenti mavis ordinem servare, neglecto isto ἐνίκησε, quod ineptum est? Tum ultima sic legas velim: ἡνίκα Εἰρήνην Λεωκράτης: tum igitur in didascalia Aristophanes cum histrione suo secundum tenebit locum.

XVIII. Argumentum vero didascalicum Vesparum etiam magis corruptum est. Nolo urgere, quod Leuconis nomen nunc quidem Ravennate et Veneto nititur, fabula autem Πρέσβεις hoc uno loco nominatur, de qua vid. Meinekium Hist. crit. 217; at in reliquis manifesti sunt errores, quibus argumenti fides omnino labefactatur. Primum de Philonide dicam. Is in argumento bis

nominatur, bis igitur per Philonidem Aristophanes. Vnde sequeretur, ut Comicus una sollemnitate duas fabulas commisisset. Quod factum esse nullo modo potest. Nam probe tenendum est, Vesparum tempore trinos tantum singulis sollemnibus poetas fabulas docuisse, Pluti autem tempore, i. e. sub initium comoediae mediae, quinos certare coepisse, demtis chori partibus. Quinis vero certantibus quum unus alterve duabus interdum fabulis in certamen prodit, nihil mirum. Eiusmodi certamen in didascalia N. 231 apud Boeckh. l. l. exstat. Diodorus, comoediae mediae poeta, una fabula secundas, altera tertias tulit; isque, quum quini fuerint poetae, his suis fabulis vicisse victorque habitus esse existimandus est. Quod apud poetas antiquae comoediae, quibus maiore apparatu opus erat, qui chorum rogare coacti erant, multi laboris multique sumtus rem, longe aliter se habuit. Neque habemus ullum, praeter hoc corruptum, indicium, poetam comicum duos choros eadem sollemnitate impetrasse (cf. Meier. Hall. L. Z. 1836 St. 118 p. 323), et si eius modi quid in grammaticorum notis superesse videtur, explodendum est. Quare verba καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι aut emendanda sunt secundum Boeckhium: καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης, ... δεύτερος; aut, quum nomen Προάγωνι servari praestet, alia, quam statim afferam, ratione explicanda. Illud enim Aldinae, Brunckii, Bekkeri: ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπίων ἦν β εἰς Λήναια: duas didascalias hic consarcinatas esse docet. Cogito primum scriptum fuisse a grammatico satis recentis aetatis ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν ἄστει; tum additum ex more Graeculorum ἐν τῇ πθ' Ὀλυμπιάδι ἔτει β'. Hinc vero corruptum illud πόλει originem duxit, quod ubi irrepsit, illud ἐν ἄστει expulit, quod qui expelleret, non intelligebat, quid sibi vellet. — Prioris igitur didascaliae frustula tantum haec: ἐδιδάχθη — ἐν ἄστει. Sequentis, quae nunc incipit a verbis εἰς Λήναια, plura supersunt nomina, deest nomen eius, qui secundas tulit. Iam didascaliarum duarum specimina habeas fere haec:

I. Εἰς Λήναια

ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου

'Αριστοφάνης Προάγωνι πρ.
ὑπεκρ. Φιλωνίδης
. . . . . .
Λεύκων Πρέσβεσι τρ.
ὑπεκρ. . . . .
II. Ἐν ἄστει
ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου
'Αριστοφάνης Σφηξί?
ὑπεκρ. Φιλωνίδης.

Num vicerit Comicus Vespis, dubites, quamquam illud β' ἦν in argumento nostro nihil valet; librarius autem aliquis, postquam fragmenta conflata sunt, quum legeret πρῶτος ἐνίκα κτλ., ad β' addiderit ἦν, de praemio, non de anno cogitans. Iam membris ita discerptis optime licet uti. Proagonem paullo ante Vespas doctam esse vel Comici verba indicant, Vesp. 60: quum spectatores rogat, ne nimis quid magni exspectent, modo ne sint ioci Megarici neve alii ab ipso iam prius producti:

οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης,
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Versum 60 ad Daetalenses referendum esse, Bergkius aptissime iudicavit: v. Mein. Com. II, 1026; sequentes scholiasta Ven. Vesparum satis explicat, Thesmophoriazusas, quas tertio loco nominare debebat, Acharnenses, Proagonem, quibus Euripides perstringeretur, afferendo. Cleonis denique, qui in Thraciam cum exercitu post inducias finitas profecturus erat (Thucyd. V, 1) novamque sibi gloriam Fortunae favore paraturus (schol: ὡς τοῦ Κλέωνος ἀπὸ δυσγενῶν ἐκλάμψαντος), mentio fit commodissima; quae Lenaeis induciarum tempore omnino non fuisset commoda. Postremo haud parvi facienda sunt chori verba v. 264:

δεῖται δὲ καὶ τῶν καρπίμων ἅττα μή 'στι πρῷα
ὕδωρ γενέσθαι κἀπιπνεῦσαι βόρειον αὐτοῖς:

quippe tempus vernum, i. e. Liberalium magnorum liquide indicant, nec possunt tempore brumali, i. e. Lenaeorum, apte recitata esse.

XIX. Doctam igitur Vesparum fabulam magnis Liberalibus Ol. 89, 2 censeo, Lenaeis eiusdem anni Proagonem (de quo vid. Bergk. Fr. Com. II, 1136 sqq.), doctam utramque a Philonide, partium primarum actore, qui simul totum fabulae in scenam committendae negotium in se susceperat, eoque taedium laboris, non gloriam laudesque concipiebat. De Philonide et Callistrato egregia prodiit commentatio Bergkii Fr. Com. II, 908 sqq., cuius summam ipse p. 939 brevibus comprehendit. Is utrumque poetam, non histrionem fuisse contendens, Aristophanem modo industria et commendatione utriusque usum esse dicit. De eadem re antea multum est disputatum, ut ab Hanovio Qu. cr. p. 2 sqq. Rankio Vita Ar. p. 219 sqq. Fritzschio Daetal. p. 9 sqq. Dindorfio ad Arist. fragm. p. 526 sq., C. F. Hermanno de iniuriis etc. (Progymnasm. in Eq. I) p. 18 sqq. Nolo equidem, quod longum esset, repetere. Ipsius Comici versus enim sat multis locis, scholiastarum, grammaticorum auctoritas, didascaliarum indoles, usus denique sequiorum temporum, quibus histriones plane poetarum partes susceperunt, — omnia, utrumque uni viro obvenisse negotium et docendi et agendi vel obvenire potuisse, liquide ostendunt. Callistratus igitur et Philonides non solum actores fuerunt Comici praecipui et primarii, sed etiam tales viri, quos vernacule nuncupamus „Regisseure“ vel „Directoren“, immo „verantwortliche Regisseure“ vel „verantwortliche Directoren“. Quod igitur circa Demosthenis tempora Neoptolemi, Poli, aliorum, de quibus erudite disseruit Grysarus, nominibus inclaruit munus protagonistae, id antiquae comoediae triadisque tragicae aetate eadem fere ratione exstitisse consentaneum est, ita ut poetae ad actores docendos de caussis nescio quibus non satis idoneo subveniret protagonista tanquam διδάσκαλος alter. Cuius opus fabulam docere dicebatur καθιέναι, εἰσάγειν, διδάσκειν τὸ δρᾶμα διά τινος. Quare secundum Didymum ap. schol. Ran. 1028 θέσις = κάθεσις = διδασκαλία. Cfr. Casaubon. l. l. et Boeckh. l. l. Paullo aliam viam ingressus Th. Kock: De Philonide et Callistrato, 1855, quum Philonidem poetam fuisse suoque nomine Aristophanis fabulas et docuisse et

potuisse docere contenderet, Callistratum autem, ut primarum partium actorem, alienae fabulae nomen suum indidisse negaret, hunc Philonidem eadem commissione et poetam et actorem fuisse dixit p. 28, ita ut in Proagone agenda poeta, quippe primum tulisset praemium, in Vespis actor tantum Aristophanis suo ipsius nomine fabulam edentis fuisset. Quod quam parum verisimile sit, ex ipsis, quae supra de hodierna didascalicorum fragmentorum indole exposui, colligas. Namque sive auctor fabulae sive actor committendae eius negotium suscepit, didascaliam unum auctoris nomen exhibuisse per se apparet. Qui enim fieri potuit, ut grammatici Alexandrini auctorum nomina nossent, nisi per didascalias innotuissent? Quare nihil equidem obstare video, quin Equitum διδασκαλία fuerit fere haec:

Εἰς Λήναια
ἐπὶ ἄρχοντος Στρατοκλέους
Ἀριστοφάνης Ἱππεῦσι πρ.
ὑπεκρ. Ἀριστοφάνης
Κρατῖνος Σατύροις δεύτ.
ὑπεκρ. ....
Ἀριστομένης Ὑλοφόροις τρ.
ὑπεκρ. ....

Eadem ratione si reliqua tractaveris, ubique salvum erit auctoris nomen; atque ea, quae Comicus de primitiis studiorum suorum praedicat Vesp. 1017 sqq., non amplius erunt dubia obscuritatisque plena, quum nihil aliud dicant, quam poetam ante quam ipse suo nomine prodiret, nonnulla quaedam neque tamen integras fabulas aliis poetis suppeditasse.

CAPVT SECVNDVM.

DE PERSONARVM DISTRIBVTIONE IN VESPIS ARISTOPHANIS.

I. Quum satis recentibus nisi auctoribus, tum ipsa fabularum simplicitate adiuti, nostrates ita iudicare de tragoediarum compositione assueverunt, ut singulas partes inter tres fere histriones et distribui posse et esse distributas persuasum habeant omnes; deinde ut primarum partium actorem nuncupent πρωταγωνιστήν, secundarum, i. e. ordine dignitateque secundarum δευτεραγωνιστήν, tertiarum i. e. ordinis infimi minimaeque dignitatis τριταγωνιστήν, et si quando opus fuerit quarto histrione, vel quarto quodam, qui histrionis partes extra ordinem explere iuberetur, eum παραχορήγημα nuncupent. Quod idem comoediae contigisse, ut tribus usa esset histrionibus, quum haud ita multi sint qui contenderint, Beerius peculiarem librum composuit, a. 1844 editum: Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes: quo distributionem, qualis fuerit, perficere conatus est, neque tamen nisi vi fabulis illata perfecit. Cf. G. Herm. Wien. Jahrb. 1845, B. 109 p. 51 sqq. 54. 58. Omisso enim, quod nunc quoque tres tantum fabulae quarto histrione non videntur indigere post Beerii curas, Equites, quae omnium est sumptu et ornatu scenico simplicissima fabula, Ecclesiazusae, Plutus; Nubes autem non sunt distributione dignae habitae, quod nunquam in scenam essent missae: in omnibus Comici fabulis tam

saepe personarum nomina mutantur, nulla re nisi distributionis propositae lege cogente, ut totus hic distribuendi modus in suspicionem merito incidat. Praeterea tam ingens atque inauditus partium numerus in aliquot fabulis uni alterive actori tribuitur, e. g. in Acharnensibus, Avibus, Ranis, Pluto, cui satisfacere unum hominem potuisse, vix quisquam sit qui sibi fingat. Quamquam igitur similem in comoediae partibus distribuendis rationem modumque fuisse atque in tragoediae certissimum puto, tamen liberiori via Camenam hilarem ingressam esse contendo. Quae ut multitudine, varietate personarum sororem simplicem severamque superavit longe, ita quarto, si diis placet, quintove actore utebatur, aut numerum excessit ad poetae arbitrium.

II. Horatianum illud: ne quarta loqui persona laboret: de qualibet scena, non de fabularum compositione intelligendum esse, ipsis verbis certissimum est, suamque in se habet commendationem. Neque quartam in colloquiis sive episodiis personam saepius deprehendere grammaticis licebat Graecis. Triumvirorum tragicorum dramata ipsis argumenta erant, plerumque duas personas suffecisse colloquio, saepius sed non ita saepe tres adhibitas esse, perraro, immo paene nusquam quattuor. Etenim quarta ista persona, cui nomen fuisse παραχορήγημα credamus, aut licentia aut vitio quodam poetae gignitur, qui scenarum ordine coactus de trinis actoribus, de mutandis vestibus, de tempore ad res varias necessario cogitavit nihil. Quod ubi animadversum est in ediscenda fabula, a chorago provisum est, ut ad usitatum actorum numerum accederet quartus actor. Is igitur audiebat παραχορήγημα. Cui explicationi grammatici veteres non repugnant. Pollucis enim verba (IV, 110) εἰ τέταρτος ὑποκριτής τι παραφθέγξαιτο, τοῦτο παραχορήγημα ὀνομάζεται, licet obscure dicta atque intellectu difficilia sint: tamen, si compares schol. Ar. Pac. 114 de Trygaei filiolis: τὰ τοιαῦτα παραχορηγήματα καλοῦσιν, οἷα νῦν τὰ παιδία ποιεῖ καλοῦντα τὸν πατέρα, quotiescunque personae prodierint a triumviris histrionibus neque actae neque agendae, eas vocatas esse παραχορηγήματα. Nam quum ibi servus alter post v. 49 domum introeat, filiolae, quarum una

tantum cum patre colloqui existimanda est, prodeant v. 114, Mercurius denique v. 180, nihil impedit, quin idem actor tres deinceps agat personus, aut idem certe duas, servum alterum et filiolam, si quidem distributionis legem severam ac necessariam defendere cupimus. Itaque si praeter necessitatem hoc loco παραχορήγημα fuisse dicitur, duplex eius ratio exstare videtur, altera, quam Pollux l. l. explicat, quum quarto opus est histrione, altera, quum tanquam altero choro opus est. Ita enim ipsa Pacis scena nos iubet iudicare, ut omissa illa explicatione, qua histrionem aliquem personam egisse filiolae reliquarum nomine querentis et quaerentis dicebamus, nunc omnes primum cantasse ad tragici chori rationem (ipse scholiasta Aeolum Euripidis perstringi dicit), tum singulas deinceps locutas esse contendamus. Septies autem aut rogatur aut respondetur a filiis, septem igitur, ut ita dicam, παραχορευταί fuerunt, ἡμιχόριον illud tragicum cum Trygaeo chorago. Atque extraordinarium hoc loco chorum prodiisse, immo latuisse vel in domus ianua stetisse paene occultum, scholiastae quoque verba indicant: εἶτα πρὸς οὐδὲν ἔτι τούτοις χρήσεται, quum in eadem fabula quarto histrione, altero παραχορηγήματι, saepius sit aliis locis opus; indicant etiam scholiastae verba ad Ran. 209: βατράχων παραχορήγημα — Venet.: ταῦτα καλεῖται παραχορηγήματα· ἐπειδὴ οὐχ ὁρῶνται ἐν τῷ θεάτρῳ οἱ βάτραχοι, οὐδὲ ὁ χορός, ἀλλ' ἔσωθεν μιμοῦνται τοὺς βατράχους· ὁ δὲ ἀληθῶς χορὸς ἐκ τῶν εὐσεβῶν νεκρῶν συνέστηκεν, unde saltem hoc discas, cantus choricos pone scenam vocari παραχορηγήματα, verumtamen non discas, binos fuisse choros, sed potius chorum fabulae, antequam in orchestram descenderet, parachoregematis officium praestitisse. Quod quum per se non habeat offensionis quidquam, etiam in Pacis fabula factum esse credas, ubi chorus post quinquaginta demum et centum versus intrat. Duo igitur haec sunt parachoregemata ab ipso choro expleta; alia vero non possunt nisi a choro extraordinario producta esse, ut Laconum et Atheniensium chorus in fine Lysistratae, quum chorus senum mulierumque non possit propter temporis angustias aut habitum mutare aut omnino orchestram

egredi; in aliis porro fabulis κωφὰ tantum πρόσωπα opus fuerunt, cuius modi comites sunt Aeschyli triumphantis in fine Ranarum, non choreutae, sed parachoregemata. Ab hoc igitur choro extraordinario, cuius plures exhibuimus formas, paullo diversus est actor extraordinarius, idem vocatus παραχορήγημα, atque nomen suum inde ducens, quod non solum παρὰ τοῦ χορηγοῦ, sed etiam παρὰ τὸ χορήγημα arcessitur atque additur. Totum autem χορήγημα etiam actores complexum esse, neque tantum chori partes, propterea apparet, quod veterum nullus diserte contradicit. Rei publicae sumptus, quem ipsi Demosthenes Ph. I. p. 50 opprobrio dat, ad theorica spectat, non ad actores singulos. Quos alere, vestire, docere, postquam sorte electi sunt, choragus debebat a re publica nonnunquam adiutus. Vt igitur tres legitimi, quos voco, actores choragi sunt, ita quartus quoque, et si qui ultra hunc numerum postulantur, choragi est, qui, choragia suscepta, poetae utique praesto esse cogitur. Παραχορήγημα autem quum omne illud dicatur, quod ad chori officium pertinet quodque chori ultra legitimum usitatumque officium excedit; παρασκήνιον aliud quid apparet esse, choragi sive potius ducis choreutarum (nam qui proprie choragus dicitur, is potest ἀμουσότατος esse) aut choreutae alicuius officium nullo sumptu. Pollux l. l.: ὁπότε μὴν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ, παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα, ὡς ἐν Ἀγαμέμνονι Αἰσχύλου· quod si verum est additum, quid sit παρασκήνιον, dubitare non licet. Etenim inde a versu 1028 chorus vel choreutarum unus alterve vicissim cum Casandra loquens histrionis agit partes; deinde caede patrata idem cum Clytaemnestra. Παρασκήνιον igitur dicitur, quum chorus vel choreuta quarti instar histrionis sermonem facit cum histrionibus; quod παρὰ τὴν σκηνήν, extra scenam, sive loquuntur sive canunt sive inter canendum loquuntur (εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ), παρασκήνιον est. Aliter C. Fr. Hermannus de distributione personarum p. 39 sq. 60 sqq. Beerius l. l. p. 11 sqq. 84, alii. Plerique enim de cantu quodam pone scenam παρασκήνιον dici contendunt, quum παρασκήνιον omnes eas res comprehendat, quae circa scenam sunt, quum ab

utroque eius latere tum post frontem. Sed Pollucem atque Agamemnonem sequens duces, duas opinor in omnibus fere fabulis chorum egisse partes, τὰ χορικὰ proprie dicta et τὰ παρασκήνια. In unoquoque igitur episodio, ubi inter stasima duo chorus aut loquitur aut cantat aliquid, id παρασκήνιον licet nuncupare, maxime autem id parascenii nomen meretur, ubi chorus histrionis partes, itaque quum trini fuerint, quarti partes per tempus paullo longius suscipit. Idque factum est in Agamemnone Aeschyli. Contra quae post scenam aut canuntur aut recitantur, ut morientium illae lamentationes in Aeschyli Orestia, ea, quatenus post scenam audiuntur, possunt vocari παρασκήνια, quatenus ab histrione pronunciantur ad partesque eius pertinent, nullo uti possunt nomine singulari. Quare Beerius fallitur vehementer, quum Ranarum παραχορήγημα, ab ipso scholiasta sic dictum, appellat παρασκήνιον; fallitur Meierus a Beerio laudatus, qui vel duas personas parascenii nomine donat; fallitur etiam Engerus: de histrionum in Aristophanis Thesmophoriazusis numero, quum p. 6 parascenio tribuit, quod aut parachoregematis aut histrionis iusti est.

III. Binae igitur quum sint chori partes, τὰ χορικὰ μέλη et παρασκήνια, hae tamen ab eodem choro aguntur. Histrionum contra grex in duas dividitur partes, quarum altera οἱ ὑποκριταὶ audit κατ' ἐξοχήν, altera τὰ παραχορηγήματα. Quae ubi ambae in usu fuerunt, magis magisque factae sunt necessariae; eoque magis necessariae, quod Comici Musa ultra modum tragicorum longe excedens in personarum inventione nulla cogebatur aut coercebatur lege. Quod quam vere dictum sit, Comici fabulae praeter Equitum luculenter docent omnes. Sed est et aliud, quod moneamus. Namque Horatianum: ne quarta loqui persona laboret: tragoediae dat legem, non comoediae. Quod de Cratino narrat grammaticus περὶ κωμῳδίας apud Meinek. l. l. p. 540: ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν: id cum narrationibus illis de origine tragoediae et comoediae apud Aristotel. Poetic. IV, 14 sqq. Diogen. Laert. III, 56. Athen. XIV,

630 C, aliis, ut vitarum scriptoribus, ex eodem fonte videtur manavisse, nimirum ex ipsis poetarum fabulis. Apparet autem grammatici sententiam esse, Cratinum e ludis scurrarum iocisque spurcissimis maleque aut minime compositis, comoediam procreavisse, nobilem tragoediae sororem. Aristoteles quidem huius poetae nomen ignorat, V, 3: ἡ δὲ κωμῳδία, διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς, ἔλαθε (id est, diu latuit in umbra). καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκε (ludi sero facti sunt publici), ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν (privatim suoque sumtu poetae fabellas suas curabant committendas, cfr. Eustath. 800, 30). ἤδη δὲ σχήματά τινα αὐτῆς ἐχούσης, οἱ λεγόμενοι αὐτῆς ποιηταὶ μνημονεύονται· τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ λόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται. Verum ponamus Cratinum scurrarum turbam coercuisse et disposuisse, ne nimis multi una loquerentur, ne vel quarta loqui persona laboraret, fecit hoc, ni fallor, eadem qua poetae tragici, necessitate coactus, ut et sonorum similitudinem tolleret et actionis perspicuitatem restitueret. Quod quum a nullo, quod sciam, adhuc memoratum sit, tamen non inutile est animadvertere. Similes actorum voces, similes pronunciationes, similes personae habitusque similes, etsi Pollux in enumerandis vestimentis multus est, — haec omnium inter se partium similitudo efficit, quando actorum numerus nimius accedit, ἀταξίαν ut habeas illam a grammatico dictam. Has igitur propter causas probabile est, certum actorum numerum a Cratino constitutum esse, scilicet provisum ab eo esse, ne tribus plures una prodirent et loquerentur. Quod quum Cratino et Sophocle ducibus ac magistris poetae imitari assuevissent, factum est, ut tragoediis agendis plerumque trini, comoediis saepius trini actores sufficerent. Videtur enim eo maxime comoedia a tragoedia differre, quod lege quadam et consuetudine actorum turbam commissionisque ἀταξίαν coercere iussa est, ad trinos actores tanquam repressa et repulsa; tragoedia autem e nimia simplicitate et actionis et commissionis quum ab Aeschylo, tum a Sophocle ad illud fastigium provecta est, in quo constitit, naturam suam adepta (Arist. Poet. IV, 15 sqq.), nimirum trinos actores dignamque commissione

tragica scenae constructionem (σκηνογραφίαν). Attamen licet idem comoediae et tragoediae contigisse, auctores veteres, Aristotele praeeunte, doceant, numero hoc ternario non docuerunt ita nos abuti, ut vim faceremus fabulis personarumque nominibus mutandis legi cuidam severae, a librariis Graeculisque id genus neglectae satis faceremus. Vbi igitur per scenarum ordinem licebit, idem actor etiam plures aget personas; sed idem eandem, quum obtinuit, per omnes fabulae scenas egit, neque unquam una persona duobus commissa actoribus potuit esse. Quod qui fieri potuisse censent, artem actorum, Atheniensium histrioniam aut pulchri decorique sensum risui dant et contemtui. Item illi, qui vel minimum temporis spatium actori concedunt ad vestes mutandas, illum secuti Graeculum, qui ad Aesch. Choeph. 899: μετεσκεύασται ὁ ἐξάγγελος εἰς Πυλάδην, ἵνα μὴ δ' λέγωσιν: servum iubet per undecim versus fieri dominum, quum, quod alibi demonstrare conatus sum, Pyladem semper in scena versatum esse certissimum sit. Praeterea opinionum diversitatem animadvertere licet in distribuendis tragoediarum personis, quae summa est, et perspicue neque Lachmannum, Hermannum, Muellerum, me ipsum, neque alium quemquam distributionem perfecisse aut restituisse docet. Plerique autem in voce παραχορήγημα offendunt, qua cum carere non amplius possint, eam quam arctissimis circumscribunt limitibus; quam porro ut evitent, quam plurimas personas uni actori imponunt. Vnde vero nomen πρωταγωνιστής, δευτεραγωνιστής, τριταγωνιστής originem duxerit? Omissis Aristotelis IV, 16 verbis: τὸν λόγων πρωταγωνιστὴν ἐσκεύασε, utpote non proprie dictis, tenendum est, archontem temporibus perfectae et tragoediae et comoediae chorum imperasse phylae cuidam, imperasse etiam histriones non eligendos, quod ab ipso factum erat, sed erudiendos, alendos, vestiendos. Iam supputa, quaeso, in digitos: tribus tetralogiis tragicis tribusque comoediis, tantum enim nunc accipere lubet numerum, duodecim actoribus opus erat. Quos quum archon poetis ex sortitione tribuisset, victum choragus praebebat, erudiendos curabat poeta, assumto, ubi eius periculum fecit, protagonista. Hi igitur acto-

res sorte eligebantur, reliqui, si quibus indigebant poetae, a chorago ad ipsius arbitrium addebantur, eaque vocantur παραχορηγήματα, ausserordentliche Leistungen des Choregen.

IV. Porro, si Demosthenem respiciamus, protagonistam quidem primum ac praestantissimum actorem vocabimus, verumtamen tritagonistam pessimum vel minimae auctoritatis actorem iudicare ab eodem prohibemur. Protagonista enim is est, qui proprie dicitur ὑποκριτὴς ὑποκρίνεσθαι τὰ δράματα: Ἀντιγόνην δὲ Σοφοκλέους πολλάκις μὲν Θεόδωρος, πολλάκις δὲ Ἀριστόδημος ὑποκέκριται, π. παραπρεσβ. p. 418 R. et paullo supra τοῦτο τὸ δρᾶμα (Phoenicem Euripidis) οὐδεπώποτε οὔτε Θεόδωρος οὔτε Ἀριστόδημος ὑπεκρίναντο. Quod ipsis poetarum temporibus idem fuisse et inscriptionibus confirmatur et per se consentaneum est. Vid. suprà cap. I.

Sed orator etiam verbo ἀγωνίζεσθαι utitur pro ὑποκρίνεσθαι, l. l. ἀλλὰ Μόλων ἠγωνίζετο καὶ εἰ δή τις ἄλλος τῶν παλαιῶν ὑποκριτῶν. Οἱ παλαιοὶ ὑποκρ. rursus dicuntur οἱ πρωταγωνισταί, quippe qui in superiorem hunc ordinem actorum paullatim tanquam bene meriti ascenderant. His igitur actores inferiorum ordinum addicti sunt, deuteragonistae isti et tritagonistae, circa Demosthenis tempora et Lycurgi sospitatoris mercede conducti, περὶ στεφάνου p. 314: μισθώσας (Aeschines) αὑτὸν τοῖς βαρυστόνοις ἐπικαλουμένοις ἐκείνοις ὑποκριταῖς, Σιμύλῳ καὶ Σωκράτει, ἐτριταγωνίστεις: et per tempus, ut videtur, satis longum eodem hoc munere fungentes, περὶ παραπρ. p. 418: οἷς (Theodoro et Aristodemo) οὗτος (Aeschines) τὰ τρίτα λέγων διετέλεσεν. Quod ipsa poetarum aetate paullo aliter evenit; quamquam enim poetas singulos fere suos habuisse actores verisimile est, neque tantum quisque protagonista utebatur eodem, sed deuteragonista quoque et tritagonista, non tamen neque poetae neque protagonistae mercedem praebebant reliquis, sed choragus, ut e Lysiae computatione, ἀπολογ. δωροδοκίας p. 698, e Demosthene κατὰ Μειδίου p. 534, ex Aeschine κατὰ Τιμάρχου p. 35, aliis certissimum est, neque infirmatur levibus scholiastarum testimoniis, quale ad Dionys. Thr. est apud Bekk. Anecd. p. 746: ἦσαν τῶν μὲν τραγικῶν

χορευταὶ δέκα τέσσαρες, τῶν δὲ κωμικῶν εἴκοσι τέσσαρες· ἕκαστος οὖν ὁ ποιητὴς τραγικὸς καὶ κωμικὸς εἶχε τούτους προεκμανθάνοντας τὰ ἑαυτοῦ καὶ τρεφομένους ἀπὸ τοῦ δημοσίου. Quod nihil significat nisi choreutis non ab ipso poeta, sed ab alio quodam, cui publice hoc munus delatum est, victum praeberi. Talis igitur quum sit actorum ratio, ut tritagonistae poetarum aetate obsequuti sint protagonistae et artis peritiori et maiore auctoritate uso, postea vero vel obedierint domino vitam victumque praebenti, non tamen mali vel protagonistis peiores habendi sunt actores. Quod ipsum Aeschinis oratoris nomen, licet a Demosthene utique reprehensum, testatur. Qui quidem totam actorum artem spernit propterea, quod fuerunt, qui patriam proderent Philippo, περὶ εἰρήν. p. 58, περὶ τ. στεφ. p. 232, περὶ παραπρ. p. 344. 371. 442; spernit ac detestatur Aeschinem et ipsum actorem et proditorem patriae, quum se vitam omnibus rebus meliorem atque honestiorem peregisse praedicet. Illa igitur verba, π. τ. στεφ. p. 315: ἐτριταγωνίστεις, ἐγὼ δ' ἐθεώρουν· ἐξέπιπτες, ἐγὼ δ' ἐσύριττον: non tritagonistae sed actoris omnino artem, non tam artem quam indignum eius magistrum Aeschinem (cfr. π. τ. στεφ. p. 270. 297. περὶ παρ. p. 403) derident, qui poetarum quidem egregias sententias alta vocis contentione pronunciet tanquam suas, verumtamen vitam degat altisonis verbis dissimillimam maximeque contrariam (π. παραπρ. p. 418). Contra eiusdem verba π. παραπρ. p. 418: ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ' ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς ἐξαίρετόν ἐστιν ὥσπερ γέρας τοῖς τριταγωνισταῖς τὸ τοὺς τυράννους καὶ τοὺς τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἰσιέναι. ταῦτα τοίνυν ἐν τῷ δράματι τούτῳ σκέψασθε, ὁ Κρέων Αἰσχίνης οἷα λέγων πεποίηται τῷ ποιητῇ ἃ οὔτε πρὸς αὑτὸν οὗτος ὑπὲρ τῆς πρεσβείας διελέχθη, οὔτε πρὸς τοὺς δικαστὰς εἶπεν. λέγε (seq. v. Ant. 175 sqq.), liquide dicunt, Aeschinem, actorem regum et tyrannorum (cfr. D. π. παραπρ. p. 449), arte sua indignum se praebere; item liquide, partes tritagonistarum certe non omnes fuisse infimi ordinis, sed ubi a poeta vel a protagonista fiebat distributio, ad fabulae rationem factam esse, non ad ordinem actorum. Nolo equidem h. l. exponere, utra persona maiori usa

sit grandiloquentia, Antigonae an Creontis, sed actorem Creontis, tertiarum igitur partium actorem aeque peritum artis esse debuisse certissimum est, nisi velis omnem artem tragicam actorum prorsus negare. Quare Ciceronis verba notissima, div. in Caec. c. 15, ut de Antigona similibusve fabulis dici non possunt, ita ficta potius ad verborum πρωταγωνιστὴς etc. significationem sunt, quam ex commissione aliqua percepta. Ea vero, quae apud Suidam aliosque ut ipsius oratoris scholiastam exstant de nomine τριταγωνιστής, irae Demosthenis, non grammatici scientiae debentur. Ita ea quoque, quae Pollux IV, 124 de discrimine protagonistae reliquorumque actorum exhibuit, eodem Demosthene l. l. docente ficta magis quam vera videntur habenda, quum Creon tritagonista nunquam per portam mediam sive regiam ingressus esse existimandus sit. Postremo hoc velim animadvertas. Protagonistae quum plerumque contigerit, ut unam per fabulam vel tetralogiam ageret personam, deuteragonistae duae vel plures, plurimae autem tritagonistae deferuntur; qui nimis saepe iubentur cum vestibus sonum vocis et pronunciationis modum mutare. Quod mihi videtur artem actoris satis excultam et politam requirere. Quid vero statuamus, si in novissima comoediarum distributione vel undecim personae eidem actori deinceps agendas legimus delatas esse? Aeque puto incredibile esse atque illam distribuendi rationem, qua duos inter actores una Pluti persona distributa a Beerio est: Pluti scilicet fabulae, quae choro carebat eoque maiori uti poterat actorum copia.

V. His ita praemissis, quibus demonstrasse mihi videor, non omnia convenire posse comoediae, quae in simpliciore tragoediae forma aptum locum habent, ad fabulae Vesparum personas aggredior distribuendas. Quarto autem actore opus esse, etiam illi concesserunt, qui distributionem tripartitam nimis anxie defendunt; quartarum porro partium actorem, qui nunc παραχορηγήματος nomine utitur, peritum artis scenicae hominem esse debere, ipsa ars docet iubetque. Qua de caussa παραχορήγημα Vesparum a reliquis actoribus nulla alia re differt, nisi quod vel casu vel proprio motu in iustorum actorum nu-

merum hac sollemnitate receptus non sit, quum iam fuerit antea de numero ternario iamque posthac sit futurus. Qua de caussa etiam cautius agendum in personarum nominibus constituendis, neque nisi alia cogente caussa, quidquam mutandum, quo satis fiat distributioni, ut ita dicam, tragicae. Duae potissimum Vesparum partes perturbatis personarum nominibus pollent, initium fabulae usque ad v. 530 et scena illa, in qua agitur causa canina v. 805—1007. Quarum prior pars pervarie a viris doctis vexata est, ne parachoregemate opus esset. Itaque Sosiae, servi alterius, persona anguste circumcisa est, inprimis a Beerio, quem in plerisque sequutus est Bergkius. Hirschigius contra pleraque intacta reliquit, quum fere nihil nisi coniecturas molitus esset, quae Graecum olerent. Alia G. Hermannus, Dindorfius mutarunt, ut vix ulla Comici fabula exstet, quae maiorem praebeat coniecturarum copiam ac diversitatem. Equidem, quae mea sententia sit, brevibus dicam. Cogito enim, ad v. usque 530 quattuor actores egisse, Philocleonem, Bdelycleonem, Xanthiam, Sosiam; Sosiam igitur, si verum probatumque omnibus nomen est, parachoregema fuisse. Itaque plures ei attribuam versus quam vulgo fit, tum vero restituam hic illic ablatos. In quibus satis erit commemorasse, ut supra feci, qui de eadem re sententiam dixerunt; quorum praeterea in commentario iterum fiet mentio.

VI. Scenam igitur Vesparum primam tibi fingas hanc. Conspicitur domus Philocleonis vel potius Bdelycleonis; filius in superiore domus parte, ἐπὶ τοῦ τέγους, in coenaculo dormit, aperto illo et spectatoribus conspicuo. Vnica aedium ianua a servis duobus custoditur, Xanthia et Sosia, vel ante ipsam vel utrimque assidentibus. Etiam ὁ πύελος v. 141, alveus s. solium, in eadem parte foramen suum, τὸ τρῆμα, habuerit, idque ex usu fuisse in aedibus civium Atheniensium, quum ἡ αὐλὴ semper ante aedes sita fuerit, suspiceris. Ipsum atrium, ἡ αὐλή, non descriptum locum explet ante scenae parietem, quem alii scenam, alii proscenium nuncupant. Quod retibus circumcirca obductum esse, servus narrat atque ex parte conspicuum est. Ianua vero, ἡ θύρα, re vera unica est, neque habet domus alterum exitum,

quod etiam asino ἡ θύρα patet v. 179 sqq. Idque fuisse ita, ut aedes Atheniensium una plerumque uterentur ianua, certe nullum reperio, qui diserte neget. Cfr. C. F. Herm. Privatalt. § 19 p. 82 sqq. Exstat igitur scena satis simplex, modo servos duos semper ante ianuam, herum semper in coenaculo restitisse accipias. Bis videmus somno sopitos et herum et servos, bis eosdem expergefactos, v. 135 et v. 395. Quod aliter fieri nequit, nisi herum ante chori parodum v. 230 iterum in coenaculo iacentem, servos iterum ad ianuam dormientes videas. Bdelycleo enim, dum chorus queritur tyrannidem populo et iudicibus imminentem, v. 463—470, descendit et tum demum scenam intrat, i. e. aedes reliquit v. 471: ἔσθ' ὅπως ἄνευ μάχης κτλ. una cum patre, ut videtur, qui bis repulsus, quamquam aegre, ut induciarum viam ingrediatur, a filio permovetur. In istis ergo proeliis si filius de coenaculo imperatoris negotio functus est, servorum quoque numerus idem sit et maneat, necesse est. Decet autem dominum domini partes agere. Itaque qui dominum descendere iubent p. v. 153, ii eundem cum Xanthia servo a v. 229 servi vices explere, ad domus suae ianuam excubare servique instar in terra dormire iubent. Aut iubent iidem, quod etiam minus convenit, herum ad coenaculum redire, servum unum relictum duorum munus suscipere. Tum vero ipsum Comicum testem habemus, inde a v. 317 pariter atque v. 144—229 quattuor personas egisse. Philocleo ianua cum asino egredi a servis prohibitus, superiorem partem aedium iterum ascendit et per tecti aliquod foramen fragmentis tegularum petit servos, v. 203 sqq. At idem retibus obductis (v. 208) quominus in tectum ascendat, impeditur. Manet igitur nova moliturus ad hoc foramen; quae videtur ianua esse ex interiore domus parte tectum adituris patens; cfr. Ar. fr. Aeolos. apud Polluc. X, 25, Bergk. ap. Meinek. Com. II, 948. Xenarchum apud Athen. XIII, 569 B, Mein. Com. III p. 617, atque foraminis cuiuslibet sensu dictum a Comico Vesp. 350. 352. At vocatur etiam ἡ θυρὶς v. 379, quae h. l. eadem est atque ἡ ὀπή. Per hoc igitur foramen cantum chori audit, v. 317:

φίλοι, τήκομαι
πάλαι διὰ τῆς ὀπῆς
ὑμῶν ὑπακούων.

Conspicitur senis caput, cui rete impendet; filius propius chorum et spectatores in coenaculo, quod ante illud foramen est, dormituriens recumbit. Quare pater, ne expergefiat filius, choro v. 337:

καὶ γὰρ τυγχάνει
οὑτοσὶ πρόσθεν καθεύδων.

Idem vero paullo ante de servis custodibus v. 319: τηροῦμαι δ' ὑπὸ τῶνδ', ubi bene scholiasta Venet.: ὑπὸ τῶν οἰκετῶν. Servos enim chorus conspicere potest et dignoscere, dominum vero quum nondum viderit, quaerit v. 333:

τίς γάρ ἐσθ' ὁ ταῦτα σ' εἴργων
κἀποκλείων τῇ θύρᾳ;

quia servos domini alicuius iussa agere non ignorat. Quos servos etiam magis perspicue Philocleo v. 362 significat:

τὼ δὲ δύ' αὐτῶν ἐπὶ ταῖσι θύραις —
— τηροῦσιν

et v. 381: ἥν αἰσθομένω τούτω ζητῆτόν μ' ἐσκαλαμᾶσθαι, ubi ipsum verbum ἐσκαλαμᾶσθαι de servorum negotio quodam usurpatur. Mox reti perroso dum senex per funem se demittit, filius expergefactus clamat v. 395: οὗτος ἐγείρου. Quod ut uni servo possit dictum esse, aeque tamen bene utrique dicitur. Aut si numerum singularem velis defendere, servorum alter aut Xanthias aut Sosias ad solii foramen etiam nunc excubare cogitandus est. Ceterum vel unus sufficit, qui senem in aëre pendentem sustinere possit et repellere. Imperat autem dominus: ἀνάβαιν' ἀνύσας κατὰ τὴν ἑτέραν v. 398; ad quae verba explicanda plerumque additur θυρίδα. Equidem malim aut ὁδὸν aut nihil. Illud enim: ascende ex altera parte, sive alia via: ad servum adhuc humi vel in scamno iacentem pertinet, ut exsurgat ocius inque scamnum ascendendo obviam veniat seni pendenti. Quo facto chorus Philocleoni opem laturus servum aggreditur; filius autem servos alios, Midam, Phrygem, Masyntiam auxilio evocat.

Cur non Sosiam? quod praesto est operamque suam praestat. A servis igitur, filio de coenaculo impellente, Philocleo retrahitur, dum clamat v. 439:

περιορᾷς οὕτω μ' ὑπ' ἀνδρῶν βαρβάρων χειρούμενον,
οὓς ἐγὼ 'δίδαξα κλάειν τέτταρ' εἰς τὴν χοίνικα.

Quid plura? Senex, a servis repressus, orat v. 452:

ἀλλ' ἄνες με καὶ σὺ καὶ σὺ πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.

Sed διὰ τῆς ὀπῆς profugere cogitur, priusquam filius procurrit, prius etiam quam chorus, qui in scenam ascendisse existimandus est, servos aggredi potest. Quare hic v. 453:

ἀλλὰ τούτων μὲν τάχ' ἡμῖν δώσετον καλὴν δίκην

duobus servis, Xanthiae et Sosiae minatur, qui iam ligno fumoque crabrones ab aedibus propellunt.

Tandem una cum patre prodit filius, sequuntur induciae, sequitur pax.

VII. Iam quum ista ratione Sosiae personam servasse mihi videar, superest ut versus eidem aliquot restituantur. Ac primum quidem, Xanthiae an Sosiae versus 142 particula tribuenda sit, dubium. Vtrique enim verba conveniunt; ambos ergo eadem pronuntiasse crediderim, quum in libris Sosiae tribuantur. Tum vero vv. 152—155 Sosiae reddendi sunt: qui solii foramen obsidens Xanthiae acclamat ut suo munere fungatur:

σὺ δὲ (ita suppleo) τὴν θύραν ὤθει.

Verba σὺ δέ, quae addidi, hortantis sunt ut v. 457: ἀλλὰ καὶ σὺ et 459: καὶ σύ. Quae sequuntur: κἀγὼ γὰρ ἐνταῦθ' ἔρχομαι, Sosiam, ut domino obediret, accurrisse ad foramen neque tamen periculi quidquam repperisse atque ipsum statim Xanthiae adfore narrant.

Bdelycleo autem, ubi patrem imposito fumarii operculo regredi cogit, paullulum finem facit loquendi, verbis v. 149: ἐνταῦθα νῦν ζήτει τιν' ἄλλην μηχανήν, satis indicans fore ut senex alia erumpat. Quod nunc ad ianuam re vera fit, verbaque v. 156:

τί δράσετ'; οὐκ ἐκφρήσετ', ὦ μιαρώτατοι;

ad servos loquitur per ianuam. Itaque versus 158. 161. 163. 165 apte post Beerium a Bergkio Xanthiae servo tributi sunt,

etiam aptius inter duos distribuuntur, ut Sosiae obveniant v. 161 et 165. Sed versus quoque 168:

ἄνθρωπος οὗτος μέγα τι δρασείει κακόν,

Xanthiae tribuendus procul dubio est, quum quod servi est, tale quid, quod timorem olet, pronuntiare, tum quod ipsis verbis dominum, qui paullisper tacuerat, evocat. Qui item de coenaculo sequentes loquitur versus 171. 173. 175. Servus asinum educit, servo Xanthiae Bergkius recte tuibuit vers. 177—181, qui in libris sunt Bdelycleonis: at qui sequuntur, v. 181 et 182, tribuendi erant Sosiae, qui cum Xanthia bestiam perquireret. Servorum vocibus commonitus Bdelycleo v. 183 quaerit: ποῖον; φέρ' ἴδωμεν (ita legendum pro ἴδωμαι). Tum collocutus cum patre, asinum cum equite suo in domum retrudi iubet, ianuamque firmius claudi. Quod dum faciunt servi, senex de tecto tegularum fragmenta iacit, servorumque alterum petit, Sosiam, ut in libris est, non Xanthiam, ut post Beerium Bergkius posuit. Etenim servi altercantur de lapilli ictu; Sosiae sunt v. 202. 203. 205. 206; Xanthiae v. 204. 207. 208. Bdelycleonis v. 208. v. 209. 210. Tum nihil impedit, quominus, ut in libris est, v. 211. 212. 216. 221. 222. 228. 229 Sosiae restituamus. Neque repugnem, si post v. 210 usque ad v. 229 duos tantum servos sermonem facere contendas. Quamquam verba, quae nunc Bdelycleoni tribuuntur, dominum quoque magis sapiunt quam servum. Tali modo scena constituta nusquam quattuor loquuntur personae, et si loquerentur, vocum copia tumultum eo melius redderet fingeretve.

VIII. Scena sequitur, quam supra descripsi; filius iterum expergefactus iterum impellit servos, servi iterum aggrediuntur, quamquam aegre et crabronum impetum timentes. Nihil igitur obstat quin Sosiae personam retineamus v. 395. 396. 397, a Bergkio Xanthiae post Beerium tributam, eandem etiam v. 458, ut in libris est; praeterea autem eidem, quum Bdelycleonis persona ex nostra quidem distributione non amplius sit opus, tribuamus v. 456:

παῖε, παῖ', ὦ Ξανθία, τοὺς σφῆκας ἀπὸ τῆς οἰκίας.

Etenim quae respondet Xanthias:

ἀλλὰ δρῶ τοῦτ', ἀλλὰ καὶ σὺ τῦφε πόλλῳ τῷ καπνῷ,

ea non potest respondere servus nisi servo. Item Sosiae v. 460:

ἆρ' ἐμέλλομέν ποθ' ὑμᾶς ἀποσοβήσειν τῷ χρόνῳ,

ubi ego interrogationis signum ponere malim (eramusne tandem vos detrusuri?), quod significat: tandem aliquando eo perveniebamus, ut vos abigeremus. Ceterum Rav., ut Bekkerus monuit, hunc versum alteri, i. e. ni fallor Sosiae dat. Denique v. 461. 462 Xanthiae dandi, qui in viris virorumque nominibus perstringendis multus est, v. 459. v. 500—502. Iam postquam Bdelycleo descendit v. 471, servus uterque manet ad versum usque 530:

ἐνεγκάτω μοι δεῦρο τὴν κίστην τις ὡς τάχιστα,

sed alter tantum, Xanthias, verba facit v. 500—502. Neque tamen idcirco alterum domum introisse contendas, quum potius pace nondum constituta servi Bdelycleoni praesto esse deberent, neque omnino scenam Atheniensium tam miseram fuisse putes, ut personarum copia abundare vereretur. Κωφὰ illa πρόσωπα, quae evocat dominus, nonne prodierunt? Nonne eadem cum Xanthia Sosiaque restitisse dominique verba exspectare veri est simillimum? modo ne loqui laborent. Cuius modi κωφὰ παραχορηγήματα sanequam multa in quavis fabulae commissione adhibita esse per se patet. Quare ne simus in admittendis actoribus quartis, qui parachoregematis nomine uti dicuntur, nimis parci.

IX. Senex, a filio ut domi maneret domique iudicis munere fungeretur, tandem permotus, duas potissimum res eundem poscit iudici maxime necessarias, fabas quas inter iudicandum comedat, et mercedem trioboli. Quas quidem res protinus allaturus filius domum introit. Sed redit mox, non solum, quae promiserat, sed multa alia proferens v. 806, scilicet matulam, fabarumque loco lentem foculo impositam, gallum, Lyci simulacrum. Servum aliquem haec domini iussu apportasse et per se apparet et defenditur a libris, qui v. 823 Sosiae dant. Reddamus igitur huic quod Bergkius nulla re nisi distributionis nimis anxia lege

cogente dempsit. Reddimus etiam v. 822 Philocleoni, a Bergkio Bdelycleoni datum. Optime enim se habet, filium paullisper tacere, dum pater admiratur imaginis formidinem, servus patri respondet. Neque enim aptum sensum haberent filii verba v. 824:

εἰ θᾶττον ἐκαθίζου σύ, θᾶττον ἂν δίκην
ἐκάλουν, —

nisi per aliquot versus auditor tantum fuisset. Sosiae igitur personam quum in scena adesse contendamus, quaeritur, quamdiu partes suas egerit. Non enim loquitur plura, quum versus 905, in prioribus editionibus Sosiae tributus, non possit nisi a filio dictus esse. Atque ita recte Bergkius post Dindorfium edidit. Sed idem Dindorfius iniuria versus 903. 904, qui vulgo Bdelycleonis sunt, Sosiae dedit, quamquam hunc silentium agere dominus recte potest iubere. Melius opinor Bergkius inter patrem filiumque distribuit v. 903. 904, quum aequum sit, accusatorem a sene laudari, quippe qui reum reprehenderit. Item v. 936—940, vulgo Sosiae tributi, a Bergkio post Dindorfium cod. Rav. auctoritate recte sunt Bdelycleoni restituti. Hic enim thesmothetae officium explet, hic igitur patri, qui thesmothetam clamat, debet respondere. Itaque Sosiae persona paene muta est. Quid ergo opus ea? Credo eum, dum iudicii locus constituitur omnibusque rebus exstruitur, opem tulisse suam, primum, ut demonstravimus, filio res quasdam, tum patri vimineum suile apportanti, rursus filio tabulas stilosque arcessenti. In his autem versibus Bergkium sequor, v. 832. 834. 844—847, in annotationibus causas probatae mutationis expositurus. Hoc quidem loco sufficit monere, utramque distribuendi rationem pati, ut Sosiam dominis praesto esse contendamus. Qui postquam servi officium explevit, vulgi circa cancellos stantis dat imaginem. Reliqua enim satis perspicua sunt. Philocleo iudex est, Bdelycleo iudicii minister, thesmotheta, defensor, Xanthias accusator, Sosias, ut dixi, populus spectator. Canis vero latratum Xanthias imitatur, qui bestiam bene alligatam secum ducit, ut alteram item adductam Bdelycleoni tradidit. Quidni canibus ad hanc rem bene exercitatis usi

fuerint Athenienses, qui docendis canibus studebant? Quidni illud αὖ αὖ ab ipso cane Cydathenaeensi emitti potuerit? Neque enim propterea parachoregematis honore ac nomine dignus est, quo eum honore Beerius prosequutus est. Certe sunt canes parachoregemata quaedam, ut equi et plaustrum in Agamemnone Aeschyli, quippe quae, ut omnes eius modi res, a chorago producantur; verumtamen Beerius ridicule egit, qui versibus, quos Xanthias pronunciat pro cane accusatore, praescribi iubet κύων. Eodem iure Bdelycleonis quoque nomen cedere debebat alteri cani. Ceterum Ravennatem sequi in distribuendis personis periculosum. Qui, ut alia multa habet falsa, e. g. versui 962, qui aperte et procul dubio Bdelycleonis est defensoris, praeposuit κύ, aut κύων, quod significaret Labetem reum, i. e. Bdelycleonem defensorem, aut κυδαθηναιεύς, quod falsum est. Porro nonne lepidissimam causae legitimae habes imaginem? Quam saepe enim fit, ut neque accusator neque reus verba coram iudicibus faciant, maxime, quum verba facere non didicerint! Quam apte rursus cum canibus comparantur litigantes, qui oratorum ope nituntur et confidunt! — Itaque in scena illa a v. 805 ad v. 1008 quattuor agunt actores, scilicet Philocleonis, Bdelycleonis, Xanthiae, Sosiae parachoregematis. Namque illud quoque animadvertas velim, quam sit parum consentaneum, actorem quartum, ubi a chorago impetratus est, quam primum vel nimis anxie scenam relinquere iubere. Parachoregema igitur Sosiae quum ab initio fuerit, mansisse etiam parachoregema atque ubi res postulavit, in scenam prodiisse certissimum duco. Quin etiam Horatiano isti praecepto egregie satis fit. Sosias, ubi Xanthias accessit vel satis longo tempore ante non loquitur amplius, mirificeque ita populi audientis tantum et spectantis et exspectantis vices suscipit. En, si canes fuisse in scena conspicuos et currentes et latrantes dentesque restringentes et caudam moventes, res ipsa postulat, tres ergo actores, parachoregemata tria! — Satis de hac scena, modo illud addam, de reliquis versibus qui huic illi ab editoribus tribuuntur, ut de v. 893. 894. 917. 918. 993, in annotationibus dictum iri.

X. Reliqua satis expedita sunt, neque sunt nisi versus aliquot ab editoribus contra librorum auctoritatem distributi, ut v. 1222. 1223 a Bergkio non male inter Phil. et Bdel., v. 1263. 1264 inter eosdem. V. 1332 Bergkius dubitat, num Bdelycleoni possit tribui. Iniuria quidem: nam filius quoque de caterva est, quae senem temulentum subsequitur; filius quoque abrepta puella derisus. Verum si accusatori, qui postea prodit, tribuamus, actor erit is, qui Sosiae partes egit, scilicet parachoregema. Neque ultimos versus 1496. 1500. 1501. 1504. 1507. 1510, qui vulgo Bdelycleonis sunt, Xanthiae cum Beerio et Bergkio tribuerim. Nam versus 1496. 1504 servum pronuntiare, qui v. 1325 timide:

ἀλλ' ἐκποδὼν ἄπειμι πρὶν πληγὰς λαβεῖν,

dicto v. 230—289, parabasis prima, v. 1009—1121, parabasis altera, v. 1265—1291, carmen parabaticum sive parabasis tertia, v. 1450—1473. Quibus canticis fabula in partes quinque dividitur longitudine impari, quippe secunda fere dimidium eius obtinet. Praeterea carmina antistrophica sat multa, namque respondent sibi v. 291—303 et 304—316, v. 333—345 et 365—378, v. 729—736 et 743—749, v. 868—873 et 885—890, v. 1515—1522 et 1523—1527. Itaque praeter parabases alteram et tertiam post parabasim priorem habes antistrophicum carmen tantum unum idque ipsum exodicum. Denique notandi sunt vv. 405—414 a choro, v. 463—470 item a choro, v. 526—545 item a choro, v. 630—648 item a choro, v. 1241—1242 a Philocleone, v. 1245—1248 a Bdelycleone et Philocleone, v. 1326—1341 a Philocleone, v. 1482—1495 item a Philocleone cantati. De quibus omnibus deinceps dicendum est.

G. Hermannus, elem. doctr. metr. p. 727 de carminibus choricis disputans, haec: „Harum (i. e. personarum, a quibus carmina canebantur) quadruplex partitio cogitari potest. Nam aut omnia a toto choro, aut omnia a partibus canebantur, aut partes chori strophas, totus chorus epodum, aut totus chorus strophas, epodum autem pars chori canebat." Divisionem quandam chori fuisse in usu, e Polluce IV, 107 novimus: καὶ ἡμιχόριον δὲ καὶ διχορία καὶ ἀντιχόρια (ita recte Bekkerus, Herm. ἀντιχορία). ἔοικε δὲ ταὐτὸν εἶναι ταυτὶ τὰ τρία ὀνόματα· ὁπόταν γὰρ ὁ χορὸς εἰς δύο μέρη τμηθῇ, τὸ μὲν πρᾶγμα καλεῖται διχορία, ἑκατέρα δὲ ἡ μοῖρα ἡμιχόριον, ἃ δὲ ἀντᾴδουσιν, ἀντιχόρια. Verum, quando haec divisio facta sit, fere ubique ignoramus. Facta procul dubio est in epiparodo Aiacis, facta etiam in Lysistrata; sed in plerisque fabulis fieri non potuit, etiamsi in codicibus sat multis locis appictum legimus ἡμιχόριον. Nam chorum praeter necessitatem divisum esse, quis credat? Iam chorum constat totum parodum fecisse; num igitur credibile, eundem post parodum cantatam in duas partes discessisse, quarum altera stropham sive strophas, antistropham altera caneret? Hemichorium enim semper dimidia chori pars, separata ab altera

suoque stans loco putanda est, neque unquam dimidia pars cantantium, quae caneret altera parte silente, quamvis eodem loco chorus constitisset coniunctus. Haec tamen chori divisio qua tandem ratione facta esse potest? Tacent veteres, dividunt nostrates, dividendi ratione non explicata. Namque Hermannus l. l. „Quamobrem veri simile videtur, epodica ita acta esse, ut chorus, dum stropham atque antistropham caneret, duas oppositas partes orchestrae teneret, epodum autem caneret stans in medio orchestrae loco.“ Atqui epodica in superstitibus fabulis perquam rara sunt, ut ad regulam faciendam non sufficiant. Quomodo igitur chorus dividitur? in episodiis enim coniunctus est. Non alia hercle ratione, nisi tacite, antequam aut dextra aut sinistra pars, de qua re nihil praecepit vir summus, inciperet canere, stationes occuparunt. Porro, quum e scholiastis constet, formam chori fuisse quadratam et tragici et comici, qua ratione tragicum distributum esse existimamus? Vt restaret suo loco choragus, sex sinistri, assumpto e tertio iugo choreuta, sinistrorsum abirent, item sex dextri cum septimo suo dextrorsum? an altera pars ex octo choreutis, addito chorago, altera e septem constaret? Comici chori divisio sane expeditior, sed utrobique prospiciendum fuisse crediderim, ut quam maxime par fieret numerus δεξιοστατῶν, λαυροστατῶν, ἀριστεροστατῶν, sive πρωτοστατῶν etc., ut utrique parti idem numerus viliorum choreutarum, τῶν λαυροστατῶν (de quibus cfr. Photium et Hesychium s. v.) obveniret. Verum enim vero, nisi singularis atque idonea causa fuerit, chorum nusquam divisum esse contendo, atque ut divisus non fuerit, ita carmina sua uno ore cantavisse. Difficile confirmatu, quod dico, neque vero Hermannus suas regulas exemplis firmavit. Equidem choreutarum coniunctionem fere perpetuam eo potissimum defenderim, quod etiam meliores, οἱ πρωτοστάται, non erant ita firmi atque exercitati, qui soli canere possent, licet modi carminum fuerint simplicissimi. Vnus est, ὁ ἡγεμών, ὁ ἔξαρχος, quem praecinentem sequuntur reliqui: cfr. Aristot. de mundo c. 6. problem. XIX, 22. 46 et quos Schneiderus praeterea laudavit l. l. p. 201, Platonem, Diomedem, Senecam.

Quem si in quibusdam tragoediae carminibus, τοῖς κομμοῖς, τοῖς ἀπὸ σκηνῆς, totius chori partes in se suscepisse concedimus, reliquos tamen choreutas suscipere potuisse prorsus negandum est. Ac si potuerint, num spectatores tali singulorum cantu contentos fuisse credibile? At, dixerit quispiam, non cecinerunt sed recitarunt, ubi singuli cum actoribus collocuti sunt. In episodiis fortasse, neque tamen in carminibus. Verum ne in episodiis quidem choreutas singulos praeter choragum locutos esse, certis testimoniis comprobari potest. In tragoedia praesertim parum conveniret cothurno, si alius choreuta acuta, alius gravi loqueretur voce, quod quidem ista ratione, qua omnes deinceps loquerentur, vitari non posset. Itaque quum chorum tanquam unam personam fuisse dicimus, quae uno ore choragi loqueretur, una voce caneret omnium choreutarum, multa certe aut evitare aut componere videmur, quae divisio ista multiplex in fabulas superstites inculcavit aliena. Primam enim ac summam legem poetarum simplicitatem rhythmi, metri, simplicitatem in recitando vel canendo fuisse arbitror. Quam ut paullo melius nunc cognoscere atque intelligere possimus, egregia facit Rossbachii et Westphali opera, qui in libro suo de re metrica poetarum dramaticorum et lyricorum multa carmina ad simpliciorem metri formam rhythmo adhibito duce ita revocarunt, ut aliter constitui non amplius possint. Poterant fortasse etiam plura; nam, ut unum afferam, de stasimo Vesp. 272 sqq., quid statuerent, non debebant dubii haerere (Metr. p. 445). Nunc quidem superest, ut Rossbachio socioque ducibus omnia fabularum superstitum carmina quum parodica tum antistrophica in unum conspectum redigantur, integris videlicet versibus appositis, ita ut melius multo et facilius pernoscatur, quibus quisque poeta formis carminum usus sit quibusve frequentissime. His ita collatis manifestum erit, quem potissimum rhythmum i. e. metri numerum singuli poetae praetulerint; denique, qui cuiusque carminis modi, cum specie quadam veri licebit suspicari. Probabile autem est, modos carminum pulchrum verborum sonum fere expressisse, ut tanquam recitatio sollemnis et canora esset, nullo vocis artificio,

ut modulate quidem, non tamen artificiose canerent, ut igitur tot soni essent, quot syllabae verborum. Cui alterum accedit, quod aeque probabile videtur esse. Namque copia et varietate modorum Graecos excelluisse non crediderim; sed unum quodque carminum genus suis usum esse modis, et poetas eosdem modos adhibuisse, quos alii in eiusdem generis carminibus; modos igitur fere communes fuisse omnibus, videlicet paullulum variatos ad singularum stropharum indolem, quippe quae pervariae essent longitudinis. Vbique autem verba carminum praevalebant, versibus quam bellissime quamque clarissima voce pronunciandis inserviebat chorus, versus puto audiisse Athenienses, non modos, quos norant. Quod ita fuisse, ut censeam, ipsa carmina me movent, tam mirifico studio composita tantaque diligentia elaborata, movet me id maxime, quod musicorum, qui in modis inveniendis excelluerint, nomina paene ignoramus. Quare quae vocantur Lydiae, Doriae, Aeoliae, Phrygiae, Mixolydiae strophae, eas et id quod nuncupamus „Tonarten" et quod proprie dicimus „Melodien" fuisse contenderim, bene gnarus, omnia haec proponi magis quam confirmari posse (cfr. Boeckh. de metr. Pind. p. 181 sqq. G. Herm. elem. doctr. metr. p. 697 sqq. Rossbach. Rhythm. p. 2 sqq.).

IX. Ad Aristophanem redeo. Parodus Vesparum, quod eodem metro (i. e. Hipponacteo, schol. Plut. 253) utitur, quo Ecclesiazusarum et Lysistratae, ad eosdem opinor modos cantata est. Quos quidem modos, si quid in tali re vel suspicari vel etiam iocari liceat, a primo versu notissimi nostri ἐμβατηρίου, cui nomen est „Dessauer Marsch", non multum abhorruisse dixerim. Quum vero tetrametri κατὰ στίχον sint, sequentem versum modis paullulum variatis usum esse necesse est, ne iisdem perpetuo repetendis cantus languesceret. At supra binos versus modos excessisse negarim, sed eos altero quoque versu repetitos esse; novies igitur, quum duodeviginti sint parodi versus, hanc repetitionem modorum factam esse. Iam sequitur a v. 248 metrum, quod dicitur τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον sive tetrameter iambicus catalecticus syncopatus, a tetrametro iambico catalectico tantum

eo diversum, quod post arsin dipodiae secundae deest thesis, cantus intermissione supplenda. Itaque aut simillimi fuerint horum versuum modi aut iidem, admisso intervallo. Ceterum vestigia premo Rossbachii Metr. p. 203, qui tamen, quum dicit: „Der syncopirte catalectische Tetrameter wird von den Komikern an Stelle des gewöhnlichen catalectischen Tetrameters gebraucht und wie dieser monodisch vom Chorführer oder im monodischen Amoibaion gesungen“, voculae „vielleicht“ immemor est, in eiusmodi praeceptis non praetermittendae. Namque cum eadem veri specie quispiam totum chorum hos versus cecinisse contenderit, neque dubitari potest, quin vis comica mirum quantum augeatur, ubi omnes senes cum omnibus pueris una voce altercatos esse statuimus. Versus autem syncopati quum sint numero viginti quinque, de modorum ratione aliter, quam supra factum est, iudicare non cogimur. Possit enim altera eorum pars novis modis et interrumpi et excipi, quippe uno vocis tenore carmen stativum v. 273 sqq. adiungitur. De quo carmine multum inter editores disceptatur. Varias lectiones infra additurus ad versus singulos, nunc qua ratione metrum sanari posse videatur, dicam. In versu 277 pro εἶτ' ἐφλέγμηνεν αὐτοῦ scribendum duco praeeunte Reisigio ἐπεφλέγμηνε δ' αὐτοῦ, in versu 282 scripserim: ἐξαπατῶν τε λέγων θ' | ὡς pro ἐξαπατῶν καὶ λέγων, in v. 284 διὰ τόνδ' ὠδυνήθη | κᾆτ' ἴσως κεῖται πυρέττων. Denique versum 290 ὕπαγ', ὦ παῖ, ὕπαγε, bis positum esse atque etiam strophae finem fuisse post v. 280 puto. Tali ratione certe metrum sanaretur, quod per se satis simplex neque ita desperatum, ut Rossbachius praedicavit Metr. p. 445. Versus sunt dactylo-trochaici, quintus autem ex tripodia trochaica constat cum anacrusi disyllaba:

⏑ ⏑ ⏊ ⏊ ⏑ – –; arsis trochaei primi τρίσημος. Incipit cantus ab Ionicis a minori quinque, quorum primus syllaba caret: ⏑ ⏑ ⏊ ⏑ ⏑ ⏊ – etc., ita ut eius arsis fiat τετράσημος. Ac ne quis aut anapaestos hoc versu contineri septem aut choriambos hypercatalecticos quattuor cum anacrusi, contendat, et ultimi versus strophae et systema Ionicorum, quod stasimon sequitur, impediunt. Versus igitur secundus et tertius, item octavus et no-

nus, ut eodem metro ita modis iisdem usi fuerint; consimili ratione inter se cohaerent versus quartus (276), sextus, septimus; quibus proxime accedit versus quintus, quem emendare conabamur: restat octavus ἦ μὴν κτλ., quasi coniunctio quaedam modorum et dactylici et trochaici metri. Vltimos denique versus: λίθον ἕψεις, ἔλεγεν, et quem secutum esse diximus cum Hermanno Elem. d. m. p. 29, primi versus modos ex parte repetisse, hac nostra modos cogitandi ratione consentaneum est. Quivis vero perspiciet, quam simplex versuum compositio sit, quam simplex ergo modorum ratio fuerit. — Sequitur quarta parodi pars, systema Ionicorum a minori, a Bergkio editore atque a Rossbachio antistrophicum redditum, Metr. p. 324; a Dindorfio in editionibus item antistrophicum, in libro: Metra Aeschyli etc. p. 342 integrum relictum. In descriptione versuum ita inter se discrepant viri docti, ut Bergkius tredecim, Dindorfius novem, Rossbachius septem exhibeat. Hirschigius denique, antistrophica divisione abiecta, triginta edidit versus. Post stasimum finitum senes filios progredi iubent: ὕπαγ', ὦ παῖ, ὕπαγε: non vero progrediuntur, sed iterum cum patribus altercantur, dum Philocleo socius omnia per foramen domus audit. Genus modorum magis ὀρχηστικόν, ac videntur et pueri et senes aliquantum saltasse, certe saltandi speciem motu corporum, aculeorum, lucernarum dedisse. Neque tamen multum se loco movent, quippe audiuntur a Philocleone. Equidem ut prius ἀμοιβαῖον ab omnibus una choreutis a puerisque omnibus cantatum esse persuasum habeo, ita hos quoque versus novis quidem modis, sed eodem canendi modo usos esse contendo. Iam varietatem modorum hactenus adhibitorum deprehendere nobis licet, quamquam singuli fuerint simplicissimi: habemus enim metrum Hipponacteum (Rossb. Metr. p. 199), syncopatum, dactylotrochaicum, Ionicos a minore; itaque artificio satis magno et sollertia choro opus fuisse, ut poetae verbis satis fieret, apparet. Iam vero chori cantus interrumpitur Philocleonis versibus, v. 317 sqq. non cantatis illis sed ad sonum tibiae recitatis. Quos versus Reisigius coniect. p. 199 antistrophicos reddere conatus est, satis audacter, ut mihi quidem

videtur. Aliter G. Hermannus elem. p. 746, qui senem nunc loquutum esse nunc cecinisse suspicans, verba φίλοι τήκομαι et ὑμῶν ὑπα-· (sic, non totum verbum) a versibus cantatis seiungit. Aliter etiam Porsonus ad Eur. Hec. v. 1169, qui duos senarios, glyconeos tres cum Pherecrateo exprompsit. G. Dindorfius Metr. p. 343 dimetrum bacchiacum: φίλοι τήκομαι μὲν glyconeos antecedere iubet, comparatis ipso Comico et Euripide. Verum ubi metro bacchiaco supersedere licet, supersedeamus. Certum est, Philocleonem tragico ore loquutum esse, carmen tragici alicuius imitatum. Itaque reiecta vocula μὲν aut φίλοι τήκομαι, ut dochmius sit, aut φίλοι κατατήκομαι, ut glyconeus fiat, scribere malim; neque dubito glyconeum praeferre, quod dochmius systema glyconeorum antecedere fere non solet. His ita constitutis carmen exstat bellissimum, ex tribus constans partibus, quarum duae priores, maxime media (ἀλλ' οὐ γὰρ — ποιήσω), quippe brevissima est, desperationem senis et languorem, ultima vero iram renascentem depingit, systemate anapaestico optime expressam. Excipit hanc senis orationem canticum chori trochaeis scriptum, quibus interpositus dimeter creticus v. 339, unde apparet, creticum idem valere quod dipodiam trochaicam, v. Rossb. Metr. p. 547; et ipsum a toto choro cantatum ad v. usque 345, propterea quod metro mutato tetrametri incipiunt anapaestici, qui procul dubio recitabantur. In huius carminis v. 343, quo facillime metrum trochaicum restituitur, addo σύ:

ὅτι λέγεις σύ τι πέρι τῶν νε-

cui respondet antistrophicus:

—ξῃ τι, ποιήσω δακεῖν τὴν: aut intervallo admisso syllaba —γεις τρίσημος fit: ⏗ ⏑ ⏑ – ⏗ ⏑ – ⏑. Simillimo metro chorus v. 405 utitur, quamquam corruptum apparet esse. Engerus in dissertatione „de responsionum apud Aristophanem ratione" p. 6 seq. vv. 410—414 et v. 468—470, v. 418. 419 et 474—477 (475—476 Bergk.), v. 428. 429 et 486. 487 sibi respondere iubet. De reliquis non contradicam; at vv. 410—414, quos numero omni solutos esse dicit, ita immutavit, ut paene novi fierent. Cautius multoque opinor melius egit Rossbachius Metr.

p. 547, qui paeonem sive creticum ditrochaeo συνθέτῳ respondere apud Aristophanem docet. Idem vv. 410—412 et 468—470 sibi respondere ait. Verum supersunt vv. 413. 414, quibus qui respondeant versus, ipse nec dicit nec habet. Hirschigius ad v. 410 antistrophica esse negat; neque Dindorfius Metr. p. 343 medelae quidquam attulit; stropha enim praetermissa, antistropham, quae emendatior sane est, apposuit. Qui cum stropham a primis chori tetrametris v. 403 incipere contendat, antistropham e duobus Xanthiae (al. Bdelycleonis) versibus, 461 sq., et chori cantico conglutinare coactus est. Quod equidem quantum fieri potest, magnopere vitandum esse censeo. Antistrophica igitur tantum ex parte restituere licet. Chorus summa ira atque studio permotus, placide cum adversariis colloqui non potest. Quare eum i. e. choragum primos versus locutum esse dixerim, 403. 404, sed protinus studio exultans canere coepit versiculos eiusdem metri, quod quasi πνῖγος quoddam nuncupare possumus, 405—407, cfr. Rossb. p. 458. Deinde omnes choreutae pueros clamant, ut Cleonem arcessant, puerisque iam procurrentibus non desinunt mandare et clamare, v. 410—414. Apertum est, his versibus responsione non opus esse: neque omnino de responsione versuum ita cogitare poterat Comicus, ut metrici quidam eum cogitasse iubent. In iisdem animi affectibus depingendis iisdem vel simillimis utitur metris: unde saepenumero respondere sibi videntur, quae certe a poeta responsionis lege dicta non sunt. Hac ego ratione de toto hoc Vesparum loco sententiam ferre non dubitaverim. Chorus partim eodem, quo adversarii eius, partim incitatiore metro loquitur: ac tetrametros quidem trochaicos choragus recitat, dimetros trochaicos et creticos chorus canit. Canit igitur v. 405—407 (fortasse etiam v. 408. 409), 410—414. 417—418. 427—429. 463—470. 475. 476. 486. 487. Versus igitur quam integerrimi relinquendi sunt; neque enim v. 407 versui 465 ut respondeat, neque v. 414 versui 470, arte emendandi poteris efficere. Tamen versu 412 pro ὅτι scripserim ὅς, ut paeon fiat; tum ὡς χρή, a Dindorfio aliisque reiectum responsionis causa, a libris Ravennate et Veneto satis defenditur, apparetque spondeum pentasemon esse, locum

dipodiae trochaicae aut cretici supplentem: ⏔́ – –́ ⏑ – –́ ⏑ –. De reliquis horum versuum emendationibus infra ad singulos versus exponam. Hoc loco, priusquam ad alia carmina transeam iterum monitos velim lectores, ut primam legem habeant, ut chorus quam saepissime iunctis vocibus cecinerit, cecineritque sine dubio, ubi metrum varias diverbiorum formas excedit, ubi intervalla atque intermissiones, solutiones, contractiones, similia obveniunt.

X. Finita parodo, quam ad v. 487 usque pertinuisse diximus, metrorum simplicitatem conspicere facile est; duae enim quasi societates metrorum exstant, iambica et trochaica, quarum prior ad v. 272, vel intermisso metro dactylico - trochaico (v. 272 — 289) ad v. 316 pertinet; Ionici enim a minore societati iambicae propter rhythmi rationem adscribo; altera vero, quae trochaica est, versu 487 finitur. Iam sequitur v. 526 novum metrum, choriambicum. Hic quoque alii antistrophica esse contendunt, alii negant. Ita Engerus l. l. p. 13 v. 526—528 et 631 — 633, tum v. 531 — 536 et 636 — 641, denique v. 540 — 545 et 644 — 647 sibi respondere iubet. G. Dindorfius in editionibus Oxoniensi et Parisiensi antistrophica non indicavit, in libro de metris p. 344 v. 526 — 545 et 631 — 637 sibi respondendos curavit. Ex reliquis editoribus neque Bergkius neque Hirschigius antistrophicorum signa posuerunt. Cfr. G. Herm. el. d. m. p. 427 sq. Probo responsionem, quamquam coniecturis satis violentis ab Engero paratam. Verum animadvertas velim, plus centum versus inter antistrophica carmina intercedere. Quod mihi certissimum documentum videtur esse, ut versus hos cantatos a choro esse, non recitatos existimem. Systemata enim choriambica versibus anapaesticis intermixta bellissime altercationem actorum interrumpunt. Quid si chorum tantummodo alio metro loquutum esse contendas? Quorsum tandem metrorum tanta varietas, nisi haec recitata, haec cantata fuerint, nisi ipse poeta ita iusserit fabulam doceri? Potest autem in eiusmodi carminibus intercalaribus responsio versuum minus accurata videri, quod, quominus versum aliquem, credo ultimum, modis nondum finitis, repetitum

esse existimemus, nihil profecto impedit. Certe ista ratione malum maius, quam coniecturarum farraginem duco, minore reprimitur ac superatur. — In sequenti huius episodii carmine, v. 729—736 = 743—749, expedita omnia; antistrophicum esse omnes concedunt, cfr. Enger. l. l. p. 2 et p. 8. Metrum simplicissimum est, cum trimetris iambicis coniuncti dochmii, cretici, quod compositionis genus apud tragicos in usu esse notum est, quartus versus trimeter est syncopatus, arsis enim secunda dipodiae primae τρίσημος est: – –́ ⏑ ⏒́ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –; septimum et octavum bene coartavit Dindorfius, ut esset tetrameter iambicus acatalectus, i. e. uno tenore pronunciandus, quod inter duos brevissimos versus optime se habet, modosque reddit incitatiores et iucundiores. Huius vero strophae versus partim a chorago solo recitatos, partim a choro cantatos esse puto, recitatos quidem trimetros puros, sed reliquos cantatos; ita ut choreutae responderint chorago sententiam inchoanti, primum dochmiaco metro, tum iambico syncopato usi. Versus reliquos totus cantavit chorus, modis paullulum mutatis, rhythmo, ut par est, servato. Quinque enim sunt cantus partes paene aequabiles, versus secundus, quartus, quintus cum sexto, septimus ex maiore parte, octavus assumta aliqua septimi particula. In quibus canendis modi non multum variabantur; ita tamen ut creticorum et dochmiorum natura inter iambos cognosceretur.

Vltimum chori ante parabasin canticum, v. 869—873, ut responderet statim sequenti, v. 885—890, versum 868 addi opus fuit. At, quod supra monere licuit, non potest actor trimetrum iambicum cecinisse. Quare idem, quod in carmine proxime antecedenti observabam, etiam in hoc carmine statuendum est, chorum aliud cecinisse, aliud recitasse. Sed viri docti sibi non constant, alii duos trimetros carmen incepisse, alii unum iubent, Dindorfius autem in editionibus aliter atque in libro de metris versus constituit. Versus sunt iambici, adiecto dochmio, quem Engerus choriambicum cum iambo esse dixit, l. l. p. 9. Iniuria opinor, quod cum versibus iambicis saepissime dochmii, non ita saepe choriambi solent consociari. Apte

Dindorfius carmen proxime antecedens comparavit, quod eundem haberet finem. Eodemque numero modisque iisdem utrumque carmen usum est; cantatum vero etiam posterius, quod anapaesti praecedunt a chorago recitati, deinde quod preces sunt sollemnes, denique quod in fine legimus Ἰήιε Παιάν, post versum 890 fortasse iterandum, quamquam non amplius precatur chorus. Maxime vero illud Ἰήιε Παιάν cantu indiget.

Vltimum chori carmen v. 1518—1522 et 1523—1527, dum Carcinitae saltant, canitur, numerosque saltationis haud dubie imitatur. De distribuendis eius versibus disceptatur. Probo equidem Dindorfii rationem, quam in libro de metris p. 348 exhibuit. Versus sunt dactylico-trochaici, quorum primus:

ἄγ', ὦ μεγαλώνυμα τέκνα τοῦ θαλασσίοιο,

post breve antistrophicum carmen κατὰ στίχον adhibetur:

⏓, –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

Chorus autem, dum canit versus re vera hyporchematicos, easdem saltationis Carcinitarum figuras formasque imitatur, et saltans ex orchestra discessisse putandus est. Modos facillime tibi fingas: primo accelerato gressu progrediuntur Carcinitae, progreditur chorus; tum paullo tardiore, id quod trochaei indicant, recedunt in pristinam stationem. Quod quum semel vel bis fecerunt, saltandi faciunt finem, interque canendum progrediuntur tantum orchestram relicturi.

XI. Supersunt parabases, de quibus pauca addamus. Trium tantum comoediarum superstitum parabases integrae sunt, Equitum scilicet et Vesparum et Avium. Nam quum parabasis e septem partibus constet, quarum nomina a grammaticis didicimus, reliquarum fabularum parabases una alterave aut pluribus carent. Parabaseos igitur legitimae quum partes sint: pnigos, anapaesti, kommation, strophe, epirrhema, antistrophe, antepirrhema, de quibus praeter Pollucem IV, 111 sq. videndi scholiastae Comici Nub. 518 etc., in Acharnensibus et Avibus deest kommation, in Nubibus pnigos; in Pace kommation, epirrhema, antepirrhema; in Thesmophoriazusis kommation, strophe cum antistropha, antepirrhema; in Ranis kommation, anapaesti, pnigos;

in Ecclesiazusis, siquidem parabasis dici potest carmen v. 478—503, praeter epirrhema et antepirrhema desunt reliqua; in Lysistrata denique atque in Pluto tota abest. Nihil mirum igitur, quod reliquae fabularum parabases etiam breviores sunt; ea nunc dico cantica, quas parabases alteras esse nemo negavit. Itaque parabasis altera Acharnensium v. 1142—1173 e kommatio, stropha, antistropha constat, Equitum v. 1264—1315 e stropha, epirrhemate, antistropha, antepirrhemate, Vesparum v. 1265—1291 e stropha, epirrhemate, antepirrhemate; Pacis v. 1127—1190 e stropha, epirrhemate, antistropha, antepirrhemate; Avium v. 1058—1117 ex issdem partibus. Fabulae reliquae quattuor, Ranae, Nubes, Thesmophoriazusae, Ecclesiazusae nullam videntur habere. Lysistrata denique carminibus quidem prae reliquis abundat, neque tamen, quam ex veterum ratione parabasin dicas, habet. Verum enim vero carmina sunt praeterea in plerisque fabulis superstitibus, quae ad parabaseon naturam proxime accedant. Quum enim parabases illae, quas enumeravimus, inter duo, quae vocantur, episodia locum habeant, i. e. ubi aut exierunt aut silentium agunt actores, a choro, qui solus in orchestra restitit, canantur, reliqua quoque carmina, quae fabulam in scenas actusve dividunt, huc pertinere consentaneum est. Respondent enim stasimis istis tragoediarum, quae absentibus actoribus a choro solo canuntur scenasque nonnunquam distrahunt magis quam coniungunt. Quidquid igitur in tragoediis stasimum dicitur, id in comoediis stasimum dicas parabaticon, scilicet stasimum, ut ex veterum more ac consuetudine discernatur a parodo exodoque, parabaticon autem, quod, ut eiusmodi nomen inscribas, carminum natura postulat. Namque comparatis inter se utriusque generis carminibus perspicuum fit, chorum tragicum plerumque spectatoris instar suam de rebus, quae aguntur, sententiam profiteri. Rarissime cum parte actorum coniunctus per totam fabulam parti alteri adversatur, aut si adversatur, tacendo fit, dissimulando, saepissime querendo. Chorus igitur, quum ipse spectator atque auditor sit attentissimus, ubique, quem e spectando audiendoque fructum perceperit,

cantu suo manifestat paene immemor spectatorum, qui vere sic dicuntur. Etenim ipsorum, qui spectatum venerunt, cogitationes in lucem edit, dum lamentatur, dum casus similes narrat, dum res divinas humanasque contemplatur. Vnde factum est, ut carmina satis multa ab actione fabulae aliquantum recederent, quemadmodum spectatorum cogitationes libere vagari nonnunquam solent. Propterea, quod Pollux IV, 111 narrat, Euripidem saepe, Sophoclem raro decertandi cum adversario causa, parabaseos specie usos esse, id negare quidem fabulis deperditis non licet, abhorret tamen a solita et legitima tragoediae compositione (cfr. Kolster l. l. p. 38). Contra in comoediis chorus actoris instar habendus est: primum, quod re vera, quatenus chori naturam decet, cum actoribus agit. Ita, loquor enim nunc de fabulis Comici quae supersunt, in Acharnensibus, Vespis, Avibus tanquam in certamen descendit cum actoribus, aegreque ac paullatim se superatum fatetur; in Equitibus et Ecclesiazusis invictus suo loco consistit, similiter in Thesmophoriazusis et Lysistrata; in Pace summa virium suarum contentione auxiliatur actoribus, scilicet actori primario, ut in reliquis quoque fabulis solummodo de protagonistis dictum esse volumus; item in Nubibus atque in Ranis, quamvis Ranarum chorum paene tragici speciem habere dicas, quod ipsius fabulae paene dimidiam partem vel tragicam vel satyricam magis appellare possis quam comicam. Deinde chorus comoediae ubique aut cum actoribus una aut solus spectatores alloquitur, quum vitae quotidianae mores, quum viros feminasque in vulgus notos, quum sine dubio e spectatoribus sat multos perstringit. Audiunt ergo spectatores inexspectata, male audiunt, dum audiunt, neque chorum secum spectare deque spectatis sententiam ferre sentiunt, sed semet a choro atque actoribus simul tentatos. Itaque chorus comicus, ut ubique cum spectatoribus rem habet, ad eosdem se convertat necesse est: quantum fieri potest, παραβαίνει πρὸς τὸ θέατρον: carmina, quae absentibus actoribus canere iussus est, aut magnae illae parabases sunt, aut parabaseon particulae, carmina parabatica. Simulatque actores exierunt, conversio fit ad spectatores, maiore

opinor circuitu in magnis parabasibus, parvo aut nullo circuitu aut sola conversione, ut novissimi facti sint primi, in brevibus stasimis. Neque multo aliter, ut ingenue, quod sentio, dicam, in tragoediis factum esse arbitror. In episodiis enim chorum ad scenam atque actores conversum stetisse apparet, in stasimis, id quod nomen στροφή satis indicat, aut totus se converterit ad theatrum aut dimidiam certe faciem spectatoribus ostenderit. Cur eum putemus scenam actoribus vacuam conspexisse, theatro per totam fabulam post tergum relicto? cur tandem eum ista ratione et cecinisse et saltavisse? Necesse vero est chorum post finitum stasimum in stationem regredi, taciteque regredi. Ita, ut exemplum notissimum addam, in Antigona Sophoclis post stasimum v. 332 sqq. temporis aliquantum intercedit, dum chorus ordines pristinos constituit. Quo facto choragus anapaestis advenientem Antigonam indicat. Ergo ubi quod satis est temporis, chori saltationibus concesseris, reliqua facile expedientur; neque obstat, quod de summis rebus disceptatur, quod de natura formaque saltationum nemo unquam poterit certi quidquam affirmare. Sufficit, ut et opus fuisse tempore et concessum esse tempus, pro certo habeamus. Verum utrum chorus inter canendam stropham se converterit, certis quibusdam ordinibus servatis, ad spectatores, per antistropham autem circuitu in alteram partem facto redierit ad stationem, an utrumque et aditum et reditum tacite fecerit: id ut non liquet, ita parum refert, modo factum esse utrumque concedas.

Iam, ut ad Comicum revertar, in comoedia multo magis est perspicuum, carmina omnia appellari posse parabatica. Respicias velim Aves, praeter parodum tres reperies parabases, de quibus, quin re ipsa fuerint, dubitabit nemo. Restat unum stasimum v. 1553—1564, cuius antistropha, id quod non amplius animadverti, toto episodio distat, v. 1694—1705. Verumtamen utrumque carmen manifestant ipsa verba parabaticum esse, sive specimen vel particulam parabaseos. Supra autem vidimus, etiam illud carmen, quae potissimum parabasis vocatur, raro integrum esse, ut septem suas partes contineat. Quare, quin breviora quo-

que stasima parabaseos nomine ornemus, non amplius ambigamus. Parabases vero et carmina parabatica fabulas in certas partes dividunt. Ita Avium fabulae partes exstant septem: prologus v. 1—318, episodium primum v. 318—675, episod. alterum v. 676—1057, episod. tertium v. 1058—1469, episod. quartum v. 1470—1552, episod. quintum v. 1553—1693, exodus v. 1694—fin. Qua in computatione chori carmina cum episodio proxime sequenti coniuncta esse iussi. Eadem distribuendi ratione in reliquis fabulis utaris. Acharnensium partes sunt sex; inter parabasin maximam atque alteram carmina parabatica duo canebantur, v. 836—856 et 971—999; Equitum partes quinque, inter duas parabases parabaticum unum v. 973—996; Nubium partes sex, sed ut nunc se fabula habet, tantum parabasis prima et parabaticum v. 1303—1320 supersunt, exciderunt parabatica v. 885 et v. 1112; Pacis partes quattuor, parabases sunt duae, quarum posterior totidem particulas sed breviores illas habet, parabaticum nullum; Thesmophoriazusarum partes quinque, ante parabasin carmen parabaticum v. 665—688, item post parabasin alterum v. 947—1000; Ranarum partes quattuor, post parabasin parabaticum unum v. 814—829; Ecclesiazusarum partes quattuor, aut parabasis est v. 478—503, aut deest v. 877. De Lysistrata quid statuas, propter singularem chori distributionem non liquet. Has vero partes utrum scenas appelles an actus, nihil interest: priores plerumque longiores esse reperies. Thesmophoriazusarum fabula excepta, in reliquis post parodum parabasis maxima sequitur, instituta a poeta, ubi, quem ad finem fabulam perducturus sit, ostendit.

XII. Tandem ad Vesparum parabases pervenimus. De reliquis carminibus quum supra exponeremus, restiterunt tria, scilicet parabasis prima, parabasis altera, carmen parabaticum v. 1450—1473. Parabasis igitur Vesparum, quae proprie sic dicitur, integra est. Cuius partes septem sunt hae: kommation v. 1009—1014, anapaesti v. 1015—1050, pnigos sive μακρόν 1051—1059, strophe v. 1060—1070, epirrhema v. 1071—1090, antistrophe v. 1091—1100, antepirrhema v. 1101—1121. Persequamur singulas.

Kommation, quod Pollux l. l. explicat: καταβολή τίς ἐστι βραχέος μέλους, i. e. exordium brevi cantu factum, anapaestos, iambos, trochaeos continet, acatalectos omnes. Errat Rossbachius l. l. p. 273, de metro iambico-trochaico agens, quod huius commatii compositionem bipartitam vocat et metrum iambico-trochaicum anapaestis additum esse dicit. Metra enim sunt tria deinceps adhibita sine coniunctionis arctioris signo. Ordo metrorum pulcherrimus, anapaestos excipiunt iambi, iambos trochaei: habes metra versuum, qui sequuturi sunt, quasi inchoata. Similiter Nubium commation duo continet metra, anapaesticum et choriambicum; in Vespis autem stropha trochaico metro utitur, in Nubibus choriambico. Vnde colligas, modos stropharum in commatiis tali ratione compositis auditos esse. In Equitibus commation totum anapaesticum est; stropha dactylico-trochaica, itaque putes commation anapaestorum modos inchoare. Denique Avium commation dactylo-trochaicis constat, iisdem stropha, ut ibi quoque, quod supra monui, probatum esse intelligas, commatiis modos stropharum aut anapaestorum inchoari solere. E paucis vero, quibus etiam nunc gaudemus, exemplis colligi non potest, quod Rossbachius l. l. dixit, commatia anapaestis solere uti. Vtuntur enim aut anapaestis solis, aut anapaestis cum versibus alius generis compositis aut alio quovis metrorum genere.

Anapaesti, altera pars parabaseos, a metro nomen ducunt. In Nubibus tamen eorum loco versus Eupolidei sunt; itaque, ut per se patet, pnigos deest. Anapaesti caput et summa totius parabaseos. Quibus poeta non solum, quid ipsa fabula voluerit, sed de se quoque quid sentire iubeat spectatores, praedicat. Itaque maiori sunt, quam reliquae partes, longitudine, vocanturque prae reliquis ἡ παράβασις, Poll. l. l.: ἡ δὲ παράβασις ὡς τὸ πολὺ μὲν ἐν ἀναπαίστῳ μέτρῳ, εἰ δ' οὖν καὶ ἐν ἄλλῳ, ἀνάπαιστα τὴν ἐπίκλην ἔχει. Iam conversio choreutarum per commation facta sit oportet. Verba enim Vesp. 1009 ἀλλ' ἴτε χαίροντες, ὅποι βούλεσθ', suo stans loco chorus, credo choragus loquitur; at statim mutatio loci fit et conversio, finitur vero cum commatio, et, quum anapaesti incipiunt, chorus intuetur spectatores. Vbi igitur comma-

tion deest, chorus, dum primi versus recitantur, convertitur, sicut in parabasi Pacis factum procul dubio est, quum ibi commatii loco versus anapaestici tetrametri sint quinque et sexto demum versu conversionem chori finitam esse appareat; itemque in Acharnensium parabasi factum, licet duos tantum tetrametros loquatur Chorus, unum ad actores, alterum ad spectatores, dum se convertit. Verum eum in ista fabula silentio parabasin fecisse, verba ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν, videntur indicare. Incipiamus anapaestos, dicit chorus, non, cum anapaestis progrediamur; hoc enim est: τοῖς ἀναπαίστοις παραβῶμεν. Neque etiam istud παραβαίνειν idem est quod progredi. Thesmophoriazusarum parabasis, quae incipit: ἡμεῖς τοίνυν ἡμᾶς αὐτὰς εὖ λέξωμεν παραβᾶσαι, conversionem factam esse neque amplius progredi chorum ostendit. Denique chorus ne habet quidem, quo progrediatur, isque etiamsi per primos anapaestos nondum stationem suam occupasse existimandus sit, anapaestos tamen stans neque aut inter progrediendum aut inter saltandum recitavit. Iam quaeritur utrum recitaverit choragus ad tibiae sonum anapaestos, an cecinerit chorus iunctis vocibus. Equidem, ut chorum, quam saepissime fieri potuerit, totum cecinisse arbitror, ita etiam anapaestos cantatos esse propterea dixerim, ut differrent aliquantum ab anapaestis diverbiorum, quibus comoediae pollent; cantatos etiam, ut chorus re vera chorus sit, i. e. cantet, dum actores loquantur. Modi anapaestorum non multum alieni ab aliorum versuum tetrametrorum fuerint; embateria canuntur.

Pnigos sive macron procul dubio, etiamsi anapaestos recitatos esse demonstrare possis, cantatum est a choro toto. De quo Pollux l. l. τὸ δὲ ὀνομαζόμενον μακρὸν ἐπὶ τῇ παραβάσει βραχὺ μελύδριόν ἐστιν ἀπνευστὶ ᾀδόμενον. Pari fere in fabulis nostris longitudine, in Avibus et Thesmophoriazusis longius quam in reliquis. Videtur autem, si anapaestis modos cantandi concesseris, pnigos modorum particulam priorem saepius repetisse, tum cantico ad finem perducto particula altera additur, ita ut omnes huius cantici anapaesti tanquam unius tetrametri loco sint.

Post pnigos chorus aliquantum desinit cantare. Sequitur enim stropha, quae non solum canebatur novis modis, verum etiam saltabatur. In Vespis metrum strophae simplicissimum, trochaicum est, intermixto cretico dimetro, qui, ut verissime Rossbachius l. l. p. 543 docet, duobus ditrochaeis respondet. Modi igitur aeque simplices fuerint, aeque simplex saltatio. Chorum vero per stropham dextrorsum saltando progressum esse crediderim, ac subsistentem paullulum, deinde epirrhema recitare aut canere coepisse.

Quod epirrhema, trochaico plerumque metro usum, anapaestorum vestigia quamquam lente premit. Est quasi epodus strophae, propter antepirrhema, opinor, cantata. Idem indicare Pollux l. l. videtur: τῇ δὲ στροφῇ ἐν κώλοις προᾳσθείσῃ τὸ ἐπίρρημα ἐν τετραμέτροις ἐπάγεται καὶ τῆς ἀντιστρόφου τῇ στροφῇ ἀντᾳσθείσης, τὸ ἀντεπίρρημα τελευταῖον ὂν τῆς παραβάσεως, ἐστὶ τετράμετρα, οὐκ ἐλάττω τὸν ἀριθμὸν τοῦ ἐπιρρήματος. Chorus igitur, cantata stropha, regreditur, dum epirrhema canit, in pristinam stationem; antistropham cantans sinistrorsum progreditur, addito antepirrhemate pristina statio occupatur. Singularem recitandi epirrhematis modum proposuit Engerus Rh. Mus. X. 1856 p. 119 sq. Tota autem finita parabasi, silentio chorus ad scenam se convertit. Putes eum, postquam actores prodierunt et coeperunt verba facere, nondum se convertisse, sed, dum actores in scena versantur et colloquuntur, tacite ad ordines priores redire.

XIII. Parabasis altera Vesparum v. 1265 e stropha constat, epirrhemate, antepirrhemate. Reliquae partes desunt, etiam quod mireris antistropha. Sed parabasibus secundis summa videtur libertas ac licentia obvenisse. Versus sunt trochaici, ut optime Rossbachius l. l. p. 273 statuit, non iambico-trochaici, ut plerique editores. Excipiunt cretici versus sive paeonici, de quibus cfr. Rossb. l. l. p. 548 et Eng. de resp. p. 3. Respondent sibi v. 1275—1283 et v. 1284—1291; itaque post versum 1283 stropham excidisse verissime lacunae signo indicarunt editores. Parabasis altera Avium, Pacis, Equitum quattuor

habet partes integras, ut supra vidimus, Acharnensium commation cum stropha et antistropha. Sed tamen epirrhema in parabasibus secundis plerumque metro tetrametro trochaico usum est, ut in Equitibus, Pace, Avibus; itaque Vesparum parabasis altera, quae creticis utitur, a consuetudine recessisse videretur, nisi cretici tam proxime ad trochaeos accederent, ut certe modi fere iidem fuisse putandi sint. Ceterum hanc alteram parabasin eadem ratione qua priorem a choro cantatam saltatamque esse perspicuum est; non dicam iisdem modis, quos variare et opus et necesse erat. — Denique de carmine parabatico v. 1450—1473 addam pauca. Metrum est choriambico-iambicum, de quo vide sis Rossbachium l. l. p. 539, Engerum l. l. p. 13. 15; clausula trochaica:

⏑́ ⏑ ⏓ — ⏑ — ⏑ —

1461 μετεβάλοντο τοὺς τρόπους.
1473 κατακοσμῆσαι πράγμασι: nam quod Dindorfius p. 348 dixit: versus ad similitudinem metri glyconei compositus, cretico choriambi locum tenente: intellectu difficile est. Constat igitur hoc parabaticon e stropha et antistropha, sicut reliqua parabatica, quae novi, omnia. Saltatum autem ista ratione, quam supra attuli. — Iam vero comparatis inter se carminibus perspicuum fit, Comicum solummodo unam unicuique fabulae parabasin attribuere voluisse sive consuetudine quadam ac lege adstrictum, sive quod unam sufficere intellexerit. Altera enim quae vocatur parabasis, ut longe minor est, ita neque de poeta neque de rei publicae statu, neque de famosis vel excellentibus civibus tam clara tamque insolenti voce loquitur, sed aggreditur minus periculosa et versatur magis in minutis rebus. Tandem parabatica carmina cum ipsis personis fabulae rem habent atque a rebus publicis perstringendis fere se abstinent. Quibus omnibus in rebus quam pulchre et sapienter egerit poeta, non est quod moneam.

CAPVT QVARTVM.

DE IVDICIBVS ATHENIENSIVM REBVSQVE IVDICIALIBVS.

I. „Restat igitur ūnus Aristophanes cum ioculari illa imitatione iudicii, quae proponitur in Vespis 926—1033“. Ita Schoemannus, in exponenda re iudiciaria Atheniensium facile princeps, in commentatione academica: De iudiciorum suffragiis occultis a. 1839, iterum edita in Opusculorum academicorum Vol. I p. 267; addens ille quidem post brevem suffragii descriptionem: „Itaque urnarum quidem duarum, calculi unius usum hic locus comprobare potest: palamne suffragium an clam latum sit, docere non potest“. Post Schoemannum, qui de rebus ad iudicia iudicesque Atheniensium pertinentibus sententiam suam prolaturus est, paene videtur actum agere, neque ego is sum, qui rem utique melius explanare me posse confidam. Sunt enim multa in re tam difficili tamque obscura ita comparata, ut pro veris venditare cogamur, quae nec vera nec veri similia sunt. Quot fuerint tribunalia, qui iudiciorum iudicumve numerus quotidianus, quae forma tribunalium, qui suffragiorum modus, quis est qui post egregias virorum doctissimorum curas liquide possit dicere? Neque enim aliter res se habet ac si quis domuum exstruendarum prorsus imperitus domum exstruere iussus fuerit talem, qualem is, qui iubet, mente excogitavit, non descripsit. Graecos vero scriptores tribunalium, iudiciorum, ipsarum actio-

num imaginem non expressisse, immo noluisse exprimere, consentaneum est: nempe supersedebant re notissima. Neque etiam oratores suppeditant, quod sufficiat; a quibus causarum genera discas, non formam iudiciorum speciemque externam, neque iudicum numerum habitumque, neque tempus causae agendae. Vnus restat cum reliquis poetis, quorum frustula huc pertinent, Aristophanes, ex cuius ioculari iudiciorum imitatione aliquid lucis affulgeat rei obscurissimae. Qui quidem nisi veram iudiciorum formam imitatus esset, ut causa legitima et omnibus rebus perfecta spectaretur, risum non movisset spectatorum. Itaque ex hac ipsa causa, ut ita dicam, canina, ex tota denique Vesparum fabula imaginem rei iudiciariae, quae veri non prorsus dissimilis sit, efficere conabor, omissis illis, quae de iudicum et causarum generibus deque actionibus ipsis quum diligentissime a Schoemanno et Meiero, tum ab aliis exposita sunt. Iam Aristophane potissimum duce primum de iudicibus, tum de foris, deinde de fororum partibus, denique de rebus iudicialibus, quibus iudices usi sunt, postremo de loco illo Aristophanis Vesp. 805 sqq. agam.

II. Sex milia iudicum (τῶν δικαστῶν, τῶν ἡλιαστῶν, nonnunquam etiam τῶν καθημένων, Dem. πρὸς Λεπτ. p. 507) fuisse vel esse potuisse testis est Aristophanes Vesp. 661 sqq.:

ἀπὸ τούτου νυν κατάθες μισθὸν τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ
ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθεν,
γίγνεται ἡμῖν ἑκατὸν δήπου καὶ πεντήκοντα τάλαντα.

Hunc sex milium numerum cum Schoemanno, Boeckhio, C. F. Hermanno reliqui omnes probarunt; neque repugnat, quod scholiasta Ar. Vesp. 88 vocem φιληλιαστής per φιλοδικαστής explicans addit: ἦσαν δὲ ἡλιασταὶ τὸν ἀριθμὸν φ′ i. e. quingenti, unius scilicet dicasterii iudices. Quid vero censendum sit de scholiasta primo Ar. Plut. 277, item de quarto ad eundem v. et de schol. Pl. 973, qui singulos in singulis foris iudices iudicasse narrant, satis ostendit Schoemannus: De sortitione iudicum c. III Opusc. acad. I p. 202. Vltra sex milia ut excedamus, non patitur Comicus, additis his: οὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατ-

ἔνασθεν i. e. ad hoc usque tempus nondum plures iudices habitabant hanc terram, videlicet Atticam, quum urbem tum agros. Iam quum de numero iudicum constet, quaeritur, quota civium fuerit pars. Atque Aristophanes in Vespis 1010 Athenienses alloquitur: ὦ μυριάδες ἀναρίθμητοι, in Ecclesiazusis 1132 civium amplius triginta milia fuisse legimus, in Vespis 706 Bdelycleo computat:

εἰσίν γε πόλεις χίλιαι, αἳ νῦν τὸν φόρον ἡμῖν ἀπάγουσιν,
τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν εἴ τις προσέταξεν ἑκάστῃ,
δύο μυριάδες τῶν δημοτικῶν ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις:

eumque de viginti milibus civium cogitasse, versus, qui sequitur, 711 comprobat:

νῦν δ' ὥσπερ ἐλαολόγοι χωρεῖθ' ἅμα τῷ τὸν μισθὸν ἔχοντι.

Veri simile est, quo tempore acta est Vesparum fabula, fere viginti milia civium Athenis vixisse, sicut Ecclesiazusarum tempore, quum res Atheniensium augeri coepissent, triginta milium numerus probari potest, nisi malis spectatorum numerum intelligi, cum Platonico illo in Symposio comparandum. Accedit quod Boeckhio Staatsh. I, 36 non probatur. At idem testatur scholiasta Vesp. 708 Demosthene auctore: ἐκ πολλῶν φαίνεται περὶ τοσοῦτον ἀριθμὸν τὸ Ἀθηναίων πλῆθος προίστασθαι (— ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ?). καὶ Δημοσθένης γάρ φησιν· (κατὰ Ἀριστογ. α' 785 R.) εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι. Ibi addit orator: τούτων ἕκαστος ἕν. γέ τι πράττων κατὰ τὴν ἀγορὰν περιέρχεται ἤτοι νὴ τὸν Ἡρακλέα τῶν κοινῶν ἢ τῶν ἰδίων. Contra scholiasta Vesp. 718 ex Philochoro (Atthidis l. IV, Muelleri fragm. histor. gr. I, 398) alium eumque minorem numerum affert, de quo, quum longum sit Philochori verba adscribere, praeter Siebelisium ad fragm. Phil. et Dindorfium ad schol. Ar. vide Boeckhium l. l. Ponamus igitur, saeculo illo inde a Pericle et Aristophane ad Demosthenem usque et Menandrum numerum fuisse civium fere viginti milia. Iam novimus iuvenes post peractum vigesimum aetatis annum in tabulis ecclesiasticis pagorum suorum inscriptos comitiis interesse sive comitiorum iure frui coepisse; novimus eosdem post tricesimum aetatis annum iudices fieri potuisse.

Vnde sequitur, ut quartam, fortasse etiam tertiam partem civium seligere debeamus, qui iudicum munere atque officio fungi propter aetatem non potuerint. Sit igitur numerus, qui superest, quindecim milium; iam huic deerunt omnes, qui extra Atticam stipendia merent, qui mercandi, peregrinandi, agri colendi, ruri habitandi, sexcentarum causarum causa iter habent, qui valetudine impediti sunt, denique omnes aetate nimis provecti. En alteram habes eamque non minorem partem, qua semota non amplius decem milia restant, e quibus iudices sint sortiendi. Sed ne hunc quidem numerum praesto fuisse contendo; neque enim unquam legi, iudices a magistratibus, quibus id negotium obvenerat, sorte electos ipsa hac sortitione tanquam altero iureiurando obstrictos fuisse, ut satis facerent sortitioni, i. e. ut iudicarent evocati; neque video alios iudicandi cupidos fuisse praeter senes et pauperes. Quare iuniores opinor, qui equis potius et ludis qualibuscunque, qui vino venerique dediti epulis potius et commissationibus, quam iudiciis trioboloque socio delectantur; item ditiores, quos cum tenui vulgo opificum et ἀγραμμάτων idem lignum, τὸ πρῶτον ξύλον, terere taedet, societatem fugerunt reliquorum τῶν φιληλιαστῶν. (De quorum numero v. Harpocr. s. χίλιοι διακόσιοι.) Vt igitur concedas ex annua sortitione sex milia iudicum effecta esse, i. e. nomina eorum perscripta esse, tamen hunc numerum unquam expletum esse ostendere non poteris. Fuisse quoque in Attica sat multos, qui iudiciorum molestias et languorem fugerent, Comicus egregie testatur Av. 107:

Ep. ποδαπὼ τὸ γένος; Euelp. ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλαί.
Ep. μῶν ἡλιαστά; Euelp. μάλλὰ θατέρου τρόπου,
ἀπηλιαστά. Ep. σπείρεται γὰρ τοῦτ' ἐκεῖ
τὸ σπέρμ'; Euelp. ὀλίγον ζητῶν ἂν ἐξ ἀγροῦ λάβοις.

ad quae schol.: τοῦτο λέγει, ὅτι οἱ ἄγροικοι μόνοι εἰσὶν οἱ μὴ φιλοδικασταί, ὡς ὀλίγων ὄντων τῶν μισοδίκων καὶ τούτων ἀγροίκων. Ergo qui ruri habitant, iudices fieri nolunt. Amant vero et *senes* et *pauperes* iudicum officium explere.

III. Ac prius quidem, videlicet *senectutem*, ipse Vesparum chorus testatur, aetatis peractae, pristinae virtutis ubique memor

(v. 231. 236. 268. 355. 441. 1060 sqq.); Philocleonem, συνδικαστὴν suum, appellat senem v. 278. 355, item Xanthias servus eundem v. 395. Philocleo ipse de se idem praedicat v. 195. 550:

τί γὰρ εὔδαιμον καὶ μακαριστὸν μᾶλλον νῦν ἐστι δικαστοῦ,
ἢ τρυφερώτερον ἢ δεινότερον ζῷον καὶ ταῦτα γέροντος;

In Equit. 255 Cleo iudicum Atticorum non chori auxilium implorans clamat: ὦ γέροντες ἡλιασταί. Schol. Vesp. 225 τὰ κέντρα ἐκ τῆς ὀσφύος explicat: πεποίηκε δὲ τοῦτο διὰ τὸ τοὺς γέροντας καὶ τοὺς δικαστὰς ὀξυχόλους εἶναι καὶ δίκην σφηκῶν τιτρώσκειν τοῖς λόγοις. Cfr. schol. Vesp. 1110. 1111. Plut. 972. Omnem dubitationem senum Acharnensium chorus tollit, qui non solum de molestiis sortitionis queritur, sed etiam malam multorum civium voluntatem indicat v. 676—718. In eadem fabula Dicaeopolis senex v. 375:

τῶν δ' αὖ γερόντων οἶδα τὰς ψυχὰς ὅτι
οὐδὲν βλέπουσιν ἄλλο πλὴν ψήφῳ δακεῖν.

Parum subsidii scholiasta Pl. 330 praebet: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δ' οὐδεὶς ἐδίκαζεν, εἰ μὴ ἐπέβαινε τῶν ξ' (60) ἐνιαυτῶν. ὅσοι δὲ τελείας ἡλικίας ἦσαν, εἰσήρχοντο μὲν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, οὐκ ἐδίκαζον δέ, nisi pro ξ' scribas λ' ἐτῶν: nam ὅσοι τελείας ἡλικίας — ii sunt, qui viginti annos nati comitiis interesse poterant; illis oppositi, qui triginta (λ') annos nati iudices fiebant. Vtrosque et vicenarios et tricenarios ecclesiastas vocari, ne mireris, quippe apud scholiastas, qui, ut unum addam ad Eq. v. 42, explicant: πνὺξ τὸ ἐν Ἀθήναις δικαστήριον, saepius occurrit. At merito inde colligas eosdem cives et ἐκκλησιαστὰς et δικαστὰς fuisse, ita ut puberes omnes per se fierent ecclesiastae, iudices autem ex ecclesiastis i. e. civibus eligerentur sortitione. Quamquam igitur sexagesimum aetatis annum (cod. Reg. Paris. Duebneri vel ξε' habet) legitimum sortiendis iudicibus fuisse nego, nihil tamen mirum, iudices, si non omnes, certe tamen maximam partem senes decrepitos, otiosos, laborum impatientes, humanitatis et misericordiae expertes fuisse Vesparumque instar aculeis τῶν μαλθῶν, stilorum ipsorumque calculorum, reos qualescunque pungentes. Nam si aliter res se habuisset, pluresque iunioris

aetatis in iudiciis sedissent, aliter opinor et in contrariam partem Comicus fabulam Vesparum composuisset. Qui vero fuerint fuci illi, κηφῆνες, quos incusant choreutae φιληλιασταὶ v. 1114:

ἀλλὰ γὰρ κηφῆνες ἡμῖν εἰσιν ἐγκαθήμενοι,
οὐκ ἔχοντες κέντρον· οἳ μένοντες ἡμῶν τοῦ φόρου
τὸν γόνον κατεσθίουσιν οὐ ταλαιπωρούμενοι?

Suntne, ut scholiasta voluit, oratores, οἱ ἐπὶ τοῦ βήματος ῥήτορες? At, num hos ἀστρατεύτους, μένοντας, οὐ ταλαιπωρουμένους appellare possis, dubito. An οἱ συνήγοροι, qui drachmam accipiunt, etiamsi ad horam non adsint (Vesp. 691), quibus describendis Bdelycleo patrem cumque patre chorum omni fastidio exuit? An iuniores illi modo iudices facti, quorum studium atque acerbitas nondum exarserunt, quorum aculeus nondum pupugit, quos fortasse et iudiciorum et trioboli taedet, qui ἀστράτευτοι i. e. silentio assidentes triobolum merentur? An denique iuvenes illi paene imberbes, recens ecclesiastae facti, domini iudicum? de quibus Philocleo v. 667: ἀλλὰ μαχοῦμαι περὶ τοῦ πλήθους ἀεί, cui filius: σὺ γάρ, ὦ πάτερ, αὐτοὺς ἄρχειν αἱρεῖ σαυτοῦ. Etenim hi quoque mercede concionabantur, et quando comitia erant, erat iustitium. Equidem, quid anteponam, dubius haereo; quod extremum posui, id libenter acciperem, nisi eosdem et comitiorum et iudiciorum participes, i. e. omnes iudices etiam ecclesiastas, suos sibi dominos fuisse, per se consentaneum esset.

IV. Porro *pauperes* sunt iudices, φράτορες isti τριωβόλου, pedissequi et dediticii Cleonis, κηδεμόνος sui: cuius iussu ad tribunalia concurrunt, divites, potentiores, beatius omnino hominum genus punituri, Vesp. 240 sqq. Triobolo victum quotidianum sibi suisque parant, Vesp. 300:

ἀπὸ γὰρ τοῦδέ με τοῦ μισθαρίου
τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ ξύλα κὦψον:

quam mercedem ut accipiant, φιληλιασταὶ coguntur esse. Ἄγε νῦν, ὦ πάτερ, filiolus ait, ἢν μὴ

τὸ δικαστήριον ἄρχων
καθίσῃ νῦν, πόθεν ὠνησόμεθ' ἄριστον;

cui lamentans pater v. 303:

ἀπαπαῖ φεῦ, ἀπαπαῖ φεῦ,
μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε νῷν οἶδ'
ὁπόθεν γε δεῖπνον ἔσται.

Cfr. Eccl. 460 et, ut unum ex oratoribus nominem, Isocratem, qui de pace p. 185: τοὺς ἀπὸ τῶν δικαστηρίων ζῶντας καὶ διὰ τὴν ἔνδειαν ὑπὸ τοῖς δημαγωγοῖς ἠναγκασμένους εἶναι, opulentioribus opponit. At quo egentiores eo magis avari sunt, caedunt pueros, qui digitos oleo madefecerint, v. 252:

οὐ γὰρ δάκνει σ', ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι:

vitae victusque avidissimi, itaque v. 1112:

ἔς τε τὴν ἄλλην δίαιταν ἐσμὲν εὐπορώτατοι,

itaque de se praedicant v. 1113:

πάντα γὰρ κεντοῦμεν ἄνδρα κἀκπορίζομεν βίον.

Eum denique, qui iudicia fieri prohibet, ἐπὶ τυραννίδι id facere clamant v. 463:

ἆρα δῆτ' οὐκ αὐτὰ δῆλα
τοῖς πένησιν, ἡ τυραννὶς
ὡς λάθρα γ' ἐλάμβαν' ὑπιοῦσά με;

Quin etiam e Bdelycleonis verbis, qui patri penuriam iudicum vitio atque opprobrio dat v. 703: βούλονται γάρ σε πένητ' εἶναι κτλ. pauperes, ut frequentissimi adfuerint, ita potissimum electos esse colligas. Aristot. Pol. IV, 5, 5 St.: καὶ μάλιστα δὲ σχολάζει τὸ τοιοῦτον πλῆθος· οὐ γὰρ ἐμποδίζει αὐτοὺς οὐθὲν ἡ τῶν ἰδίων ἐπιμέλεια, τοὺς δὲ πλουσίους ἐμποδίζει, ὥστε πολλάκις οὐ κοινωνοῦσι τῆς ἐκκλησίας οὔτε τοῦ δικάζειν. cfr. IV, 7, 2. IV, 10, 2. 8. Quare chorus quoque primo Bdelycleonem tanquam nobilem quendam ac superbum aspernatorem aggressus, ubi mores eius probos cognovit, populi eum et iudicum amicum praedicat v. 887 sqq. Pariter de penuria in Equit. 864 isiciarius:

ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρός σε κεχήνῃ,

scil. ὁ δῆμος πρὸς Κλέωνα. Cfr. Eur. Orest. 231 sqq. Iam dixerit quispiam, post chorum tantum sedisse diram necessitatem, Philocleonem autem, ut ex filii totiusque domus habitu pateret, avidum quidem trioboli neque tamen egenum fuisse. Verum

omisso quoque, quod ex poetae sententia avaritia fere idem est atque paupertas, omisso, quod Philocleo summopere gloriatur gaudetque triobolo et accipiendo et accepto v. 665 sqq.: re vera patres familias pauperes fuisse existimandi sunt, quippe qui filiis adultis domus totiusque rei familiaris moderationem permittentes a liberis se ali vel paterentur vel proh miseri! cogerentur. Tales sunt patres familias, ut proximis et notissimis exemplis utar, Strepsiades Nubium, Philocleo Vesparum; hi iudiciis incumbebant, ut nummorum aliquantillum sibi facerent. Itaque Philocleo v. 612:

τούτοισιν ἐγὼ γάνυμαι, κοὐ μή με δεήσῃ
ἐς σὲ βλέψαι καὶ τὸν ταμίαν, ὁπότ' ἄριστον παραθήσει
καταρασάμενος καὶ τονθορύσας, ἄλλην μή μοι ταχὺ μάξῃ·
τάδε κέκτημαι πρόβλημα κακῶν, σκευὴν βελέων ἀλεωρήν:

hi porro ab omnibus, inprimis a servis (ὁ ταμίας v. 613) pessime habentur, v. 442 (cfr. primam Vesp. scenam), pristini imperii memoria a successore, ut videtur, prorsus deleta.

V. Sequitur de *sortitione iudicum* quaestio satis impedita. De sortiendi autem modo ac ratione quum a Schoemanno in scriptione: De sortitione iudicum, Opusc. acad. I p. 200 sqq. diligentissime expositum sit, item a Fritzschio in commentatione „De sortitione iudicum apud Athenienses“ multa ingeniose sint prolata, nunc de civibus sortiendis, quales fuerint, ubi in terra Attica habitaverint, Athenisne an tota Attica sortitio facta sit, agam. Qui fieri potuit, ut, qui vel Sunii vel Braurone habitabant, et sortitioni et iudiciis comitiisve interessent? Quodsi cum Boeckhio civium Atticorum fere viginti milia fuisse accipimus, quot Athenis habitasse, quot in agris putandi sunt? Namque Thucydides II, 14 haec narrat: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀκούσαντες ἀνεπείθοντό τε καὶ διεκομίζοντο ἐκ τῶν ἀγρῶν παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὴν ἄλλην κατασκευήν, ᾗ κατ' οἶκον ἐχρῶντο, καὶ αὐτῶν τῶν οἰκιῶν καθαιροῦντες τὴν ξύλωσιν, πρόβατα δὲ καὶ ὑποζύγια ἐς τὴν Εὔβοιαν διεπέμψαντο καὶ ἐς τὰς νήσους τὰς ἐπικειμένας. χαλεπῶς δὲ αὐτοῖς διὰ τὸ ἀεὶ εἰωθέναι τοὺς πολλοὺς ἐν τοῖς ἀγροῖς διαιτᾶσθαι ἡ ἀνάστασις ἐγένετο. Factum hoc ineunte bello Peloponne-

siaco est, aliquot annis ante didascaliam Vesparum. Plerique autem a patribus edocti et consuerant et amabant ruri habitare, ut Pericli aegre obsequerentur. Etenim Thuc. c. 16: καὶ ἐπειδὴ ξυνῳκίσθησαν (Athenis a Theseo), διὰ τὸ ἔθος ἐν τοῖς ἀγροῖς ὅμως οἱ πλείους τῶν ἀρχαίων καὶ τῶν ὕστερον μέχρι τοῦδε τοῦ πολέμου πανοικησίᾳ γενόμενοί τε καὶ οἰκήσαντες οὐ ῥᾳδίως τὰς μεταναστάσεις ἐποιοῦντο, ἄλλως τε καὶ ἄρτι ἀνειληφότες τὰς κατασκευὰς μετὰ τὰ Μηδικά. ἐβαρύνοντο δὲ καὶ χαλεπῶς ἔφερον οἰκίας τε καταλιπόντες καὶ ἱερά κτλ. Hi igitur vitae rusticae amatores Athenis quidem, ut videtur, non habitabant, neque eos locum idoneum in urbis angustiis repperisse Thucydides narrat c. 17. Venerant enim et ipsi patres familias et adduxerant τὴν ἄλλην παρασκευήν, i. e. servos, ita ut agri re vera deserti essent. His adde Solonis instituta. Quem equidem, nisi hoc civium agri colendi studium intellexisset et, quum Theseo non plus valeret, probasset legeque sanxisset, illam τῶν πενταχοσιομεδίμνων etc. divisionem profecto non praecepisse nec perfecisse putarim. Neque omnino his nominibus ordines appellasset, nisi agrorum possessione et opes et auctoritatem civium suorum cognosset niti. Item Clisthenis mutationes auctoritatem tamen et iura paganorum intacta reliquerunt, immo auxerunt ea, quod incolae decem tribuum vel amplius centum septuaginta pagorum melius iure civium fruuntur, quam quattuor tribuum. — Ineunte igitur bello Peloponnesiaco plures cives quam superioribus temporibus in urbe habitasse novimus eosque ibidem remansisse vel propter belli necessitates credibile est. Praeter hos satis magnum numerum sortitionis perficiendae causa Athenas convocari oportebat. Schol. tertius Ar. Pl. 277: ἔρχεται ἕκαστος εἰς (ita legendum puto pro εἰς, v. Dind. ad schol. Schoemannus p. 205: εἰς τὸ δικαστήριον secundum Hemsterhusium aliosque. Dobraeus εἰς τὸ delevit) τὸ πινάκιον ἔχων ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ πατρόθεν καὶ τοῦ δήμου καὶ γράμμα ἕν τι μέχρι τοῦ κ', διὰ τὸ πάλαι δέκα φυλὰς εἶναι Ἀθήνησι (sic fere constanter scholiastae et lexicographi). διῄρηντο γὰρ κατὰ φυλάς. Probabile est, sortitionem aestatis tempore a novis archontibus habitam esse. Verum etiamsi media

hieme archontes negotium sortiendi susceperint, qua cives ditiores, quum urbis incolae tum praediorum possessores, in urbem remigraverant ludos spectatum, sortientibus magistratibus omnes praesto fuisse non crediderim. Athenis autem solis neque alibi sortitionem iudicum factam esse, licet non diserte quod sciam a quoquam affirmetur, per se manifestum est, quum a novem archontibus eorumque scriba institueretur. Eam porro κατὰ φυλάς, tributim factam esse quum scholiastae Comici passim narrant, tum Schoemannus l. l. probavit. Atque scholiastarum unus Vesp. 775 significare videtur, iudices e singulis tribubus a singulis archontibus assumto videlicet scriba selectos esse: ἐπειδὴ θεσμοθέται (i. e. ἄρχοντες, cfr. Schoem. de comit. p. 254) καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς κληροῦσι τοὺς τῆς αὐτῆς φυλῆς ἕκαστος. Qui verborum ordo mihi non videtur cum Schoemanno (l. l. p. 207) turbatus neque in hunc modum restituendus esse: οἱ θεσμ. καὶ δέκατος ὁ γρ., κατὰ φυλὴν ἕκαστος ἐκλήρουν κτλ. — vellem ipse vir egregius reliqua adiecisset; videtur autem respexisse ad schol. III Plut. 277. Quid? si legimus pristino verborum ordine servato: τοὺς τῆς αὑτοῦ φυλῆς ἕκαστος? Etenim si singuli archontes e singulis tribubus creati fuerint, nonne singulos quoque tribuum suarum quasi arbitros atque magistros fuisse tribulesque suos selegisse consentaneum est? — Iam vidimus et Athenis et ab archontibus et tributim factam esse annuam iudicum sortitionem. Parem quin ex singulis tribubus atque eundem numerum archontes sortiti sint, quis dubitet? Num parem quoque e singulis tribuum ordinibus, ut pentacosiomedimnorum idem numerus fuerit ac reliquorum? Non crediderim. Scimus enim, ut unum nominem, pagum Acharnensium opulentissimum fuisse, alios contra propter loci naturam vel naturae iniquitatem paene desertos. Deinde Athenis quarti ordinis τῶν θητῶν cives numero plures quam tota reliqua Attica habitasse contendo, etiam, pace Thucydidis dixerim, primorum ordinum, ut natura urbis fert, plures quam in unaquaque tribu. Cui rei vix opus est argumento, ubique terrarum et gentium tale quid occurrit. Neque tamen, quod κατὰ φυλὰς sortitionem factam esse constat, aliam

tribum alii, quae idoneis viris egeret, suppeditasse credibile est. Hanc igitur sortiendi rationem, qua numerus iudicum omnibus rebus aequalis fieret et par, qualis fuerit, non expedio. Verum tamen iudicum satis magnam, fortasse maximam partem e quarti ordinis τῶν θητῶν viris constitisse vel ex Thucydide l. l. colligas. Qui vero e iudicibus pauperes fuerint, ut Vesparum chorus, eos omnes Athenienses fuisse neque Athenas iudiciorum causa migrasse apparet. An, liceat denique mihi etiam hoc proponere, archontes tantum ex Atheniensibus iudices κατὰ φυλὰς i. e. ad tribuum numerum sortiebantur? ut singuli archontes sexcenos sortirentur, scilicet quingenos ad senatorum numerum, centenos supplementi causa, cum multi essent, qui frustra evocarentur? Respondeant acutiores. Illud saltem pro certo debet haberi, iudices illos, qui ab Aristophane sexcenties perstringuntur, et Athenienses fuisse et senes et θῆτας. Cui non repugnat notissima illa Plutarchi de Aristide in exilium misso narratio, Ar. c. VII p. 322. De reliquis adeas egregiam Schoemanni commentationem de schol. Plut. 227 l. l., item Fritzchium l. l., ut antiquitatum scriptores hoc loco omittam.

VI. De *foris* et *tribunalibus* peculiaris exstat commentatio Schoemanni: „Appendix de dicasteriis“ in Op. acad. I p. 220—230. Novies in fabulis Comici superstitibus, in Vespis scilicet, Equitibus, Thesmophoriazusis, Ecclesiazusis, legimus nomen τὸ δικαστήριον; ac ter quidem eo sensu, ut sit conventus iudicum Vesp. 595. 624. Thesm. 78; ter vero ut significetur locus iudiciorum Vesp. 804. Eq. 1317. Eccl. 676; ter denique, ut utrumque possit subaudiri Vesp. 304. Eq. 307. Eccl. 460. Pariter Thom. Mag. p. 86 ed. Ritschl.: δικαστήριον καὶ ὁ τόπος ἐν ᾧ αἱ δίκαι τελοῦνται καὶ αὐτοὶ οἱ δικάζοντες καὶ ὁ τῆς πόλεως ἄρχων κτλ. Etiam alias significationes v. ap. Steph. s. v. Praeterea singula tribunalia (sive fora sive dicasteria — promiscue enim his nominibus utor) non addito nomine δικαστήριον memorantur Vesp. 120. 1109. Eccl. 676—686. Ἡ ἡλιαία semel occurrit Eq. 897; item iudices multo saepius vocantur δικασταὶ quam ἡλιασταί, etiam saepius δικάζειν quam ἡλιάζειν et ἡλιάζεσθαι usurpatum.

Iam vero nomina tribunalium de forma locove non multum nos suspicari sinunt; nam quae Vesp. 1109 nominantur tribunalia numero, ut videtur, quattuor:

οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς (τοῖς?) ἕνδεκα,
οἱ δ' ἐν ᾠδείῳ δικάζουσ', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις,

ea vix possunt his nominibus appellata esse, sed scholiasta verum videtur dixisse: τοῦτο δέ φησι δεικνὺς ὅτι εἰς πάντα τόπον εὑρήσει τις δικαστὰς ἐν τῇ Ἀττικῇ. Nam quid sibi vult οὗπερ ἄρχων? estne dicasterii locus, quem archon designavit (nam καθίστησι τὸ δικαστήριον Vesp. 304), an locus, ubi ipse consuevit esse (v. Schoem. Antiq. iur. p. Gr. p. 245)? Quid sibi παρὰ τοὺς ἕνδεκα? fuerunt enim undecimviri pariter atque archontes quorundam iudiciorum praesides (v. Herm. Staatsalt. §. 139). Iterumne igitur locus designatur, quo concurrerint φιληλιασταὶ prope undecimviros iudicatum? In Odeo porro, de quo schol. ad v. τοῦτο οὐ πρὸς ἀλήθειαν ἀλλὰ πρὸς τὸ πλῆθος τῶν δικαστῶν, iudices consedisse quidem admodum probabile est, in illis praesertim causis, quae numerum iudicum requirerent maiorem. Denique τὸ πρὸς τοῖς τειχίοις aut multa aut nihil significat; si multa, id, quod scholiasta modo laudatus dixit; sin nihil, tum quoque idem, opinor, atque scholiasta voluit. Etenim dicasterium quoddam fuisse, vocatum τὸ πρὸς τοῖς τειχίοις, vel propter Comici verba vix credibile, ex quibus tantum colligas eius nomen τὰ τειχία fuisse vel esse potuisse. Videtur igitur hoc πρὸς τοῖς τειχίοις istud πανταχοῦ δικάζουσιν esse, i. e. ubi muri alicuius species exstat, ibi consident iudicaturi vel cupiunt considere. Scilicet aliqua δρυφάκτων, cancellorum, specie iusto tribunali opus est. Ita ex quattuor his tribunalium nominibus praeter Odei restat nullum; atque Odeum ipsum non iudiciis habendis sed musis celebrandis inserviisse constat. Superest quintum, τὸ Καινόν, Vesp. 120, quod scholiasta non ita perspicue describit: (ἔστι) τόπος ἐν τῷ δικαστηρίῳ, οὕτω λεγόμενος. εἰσὶ δὲ δ', Παράβυστον, Καινόν, Τρίγωνον, Μέσον. Ante Dindorfium legebatur παράβυστος, καινός, τρίγωνος, μέσος (cod. Ven. μέσον). Nempe scholiasta cum τόπος, quod nomen proxime antecedit, coniunxerat

adiectiva, non nomina propria, quae nunc sequuntur, quattuor; quasi τὸ δικαστήριον tanquam regio quaedam tribunalium esset, cuius quattuor partes nominarentur τόποι. Attamen omissa hac tanquam quarta vocis δικαστήριον significatione, Dindorfium sequimur. Neque ita difficilia sunt adiectivorum neutra ad explicandum, Pausania praesertim duce, qui I, 28, 8: ἔστι δὲ Ἀθηναίοις καὶ ἄλλα δικαστήρια, οὐκ ἐς τοσοῦτον δόξης ἥκοντα. τὸ μὲν οὖν καλούμενον Παράβυστον καὶ Τρίγωνον, τὸ μὲν ἐν ἀφανεῖ τῆς πόλεως ὂν καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνιόντων ἐς αὐτό, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματα. Itaque τὸ Παράβυστον est iuxta positum, infertum, ut cogitare possis de aedificio quodam sive templo, cuius ad latus locus dicasterii fuerit; τὸ Καινόν, novum, explicatione vix indiget; originem vero duxerit, ex quo tempore alia tribunalia, illa fortasse, quae una cum ipso nominantur, civibus non amplius sufficere coeperunt; τὸ Τρίγωνον ἀπὸ τοῦ σχήματος, ut Pausanias docet, — reliqua igitur tribunalia aliam aut quadratam aut rotundam (v. Etym. M. s. κιγκλίς) habebant formam —; τὸ Μέσον denique a situ aut inter duo alia tribunalia aut inter aedificia nomen acceperit. — Superest apud Comicum unum tribunalis nomen proprium, de quo scholiastae plura se scire aiunt, nec sciunt tamen, ἡ Ἡλιαία. In eo fere scholiastae sibi et lexicographi constant, ut maximum tribunal Heliaeam appellatam esse dicant. Ita schol. Arist. Eq. 897: οἱ δικασταὶ] οἱ ἡλιασταί. τὸ μέγα δὲ δικαστήριον ἐν τῇ Ἀττικῇ Ἡλιαία καὶ οἱ δικασταὶ ἡλιασταί: eadem Suid. s. v. ἡλιαία. Paullo accuratius — illud enim scholium Heliaeam singulare tribunal fuisse, quod hoc nomine uteretur, parum dilucide narrat, quippe quum iudicum aut universus numerus aut unaquaeque pars sive decuria eodem iure potuerit τὸ μέγα δικαστήριον appellari — paullo igitur accuratius, ut re vera Heliaeam singulare quid fuisse suspiceris, alibi scholiastae rem explicant, ut ad Vesp. 88: φιληλιαστὴς] ἀντὶ τοῦ φιλόδικος. ἀπὸ τοῦ μεγίστου δικαστηρίου, τῆς Ἡλιαίας (sic, opinor, an δικαστηρίου τῆς Ἡλιαίας? ut Heliaea sit cum omnium omnino tribunalium significatio tum maioris cuiusdam vel maximi ex his?); atque iisdem ferme verbis schol.

Av. 109, unde Suid. s. v. ἡλιαστὴς] ἀπὸ μεγάλου (τοῦ μ.?) δικαστηρίου τῆς 'Ηλιαίας: paullulum mutatis ad Vesp. 772: — εἵλη] ἔπαιξε δὲ παρὰ τὴν ἡλιαίαν τὸ μέγιστον δικαστήριον; et Equit. 255: ὦ γέροντες ἡλιασταὶ] τοῦτο ὁ Κλέων λέγει καὶ αὐτὸς ἐπικαλούμενος τοὺς δικαστὰς εἰς βοήθειαν. ἡλιαία γὰρ (τὸ? ita Suid. s. v. ἡλιαστής) μέγιστον δικαστήριον 'Αθήνησι, eademque exhibent lexicographi, ut Harpocratio et Suidas s. v. ἡλιαία, additis his: ἡλιαία μέν ἐστι τὸ μέγιστον δικαστήριον τῶν 'Αθήνησιν, ἐν ᾧ τὰ δημόσια τῶν πραγμάτων ἐκρίνετο χιλίων δικαστῶν ἢ χιλίων (ita Bekkerus, cod. N. Darmstadiensis Werferi om. ἢ χιλίων) καὶ πεντακοσίων συνιόντων. συνῄεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι ἐκ δυοῖν δικαστηρίων, οἱ δὲ χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν. Eadem Photius s. v., qui praeterea habet: ἡλιαία τόπος 'Αθήνησιν, εἰς ὃν συνάγεται δύο δικαστήρια, ὅταν χίλιοι δικάζωσιν· ὧν προέστηκεν εἷς γραμματεύς: paullo aliter Zonaras, qui explicato etymo, in quo fere consentit cum Etym. M. p. 427, 27, dicit haec: ἔστι δὲ τὸ μέγιστον δικαστήριον 'Αθήνησιν, ἐν ᾗ τὰ δημόσια τῶν πραγμάτων ἐκρίνετο, ἡ βουλὴ (i. e. ἐκκλησία, an δικαστήριον? saepius enim permutantur) συνεστῶσα ἐξ ἀνδρῶν χιλίων (cod. A in fine pro χιλίων habet ἑξήκοντα τεσσάρων, quod sensu caret), ἢ ὅλη ἡ τάξις (i. e. iudices ad unum omnes, si diis placet, sexies mille). Eadem fere Suidas s. v. ἡλιαία καὶ ἡλιάζεσθαι] βουλὴ συνεστῶσα ἐξ ἀνδρῶν χιλίων· ἐλέγετο καὶ ὁ τόπος οὗτος, ἐν ᾧ συνηθροίζοντο. ἡλιάζεσθαι δὲ καὶ ἡλίασίς ἐστι τὸ ἐν ἡλιαίᾳ δικάζειν. Denique Pollux VIII, 123 ἡ ἡλιαία πεντακοσίων (quocum conferas, quod schol. Ar. Vesp. 88 tradit: ἦσαν δὲ ἡλιασταὶ τὸν ἀριθμὸν φ'), εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίστατο β' δικαστήρια, εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων, τρία. Pausanias denique I, 28, 8: τὸ δὲ μέγιστον καὶ ἐς ὃ πλεῖστοι συνίασιν, 'Ηλιαίαν καλοῦσιν.

Iam vero, licet a plerisque Heliaea τὸ μέγιστιον δικαστήριον sit vocatum, vocatur tamen etiam τὸ μέγα, et a Polluce πεντακοσίων tribunal. In Timocratea porro Demosthenis p. 733 in lege quadam, sive spuria est sive κυρία, ter nominatur ἡ ἡλιαία, ut nihil aliud sit quam quodvis dicasterium. A Zonara autem discas, et partem iudicum et ad unum omnes 'Ηλιαίαν vocari;

ab eodem et a Suida aliisque, τὴν ἡλιαίαν et locum iudiciorum et conventum iudicum significare, quemadmodum supra v. δικαστήριον utrumque valere ex Aristophane ipso ostendimus.

Deinde ex his grammaticorum explicationibus apparet, Heliaeam nihil aliud fuisse quam maius aliquod tribunal, maius quam τὸ καινόν, τὸ μέσον et quae supra cognovimus. Vt igitur unusquisque δικαστὴς etiam ἡλιαστὴς appellatur debetque appellari, ut nihil prorsus intersit inter utramque significationem; ita unumquodque tribunal quum suum singulare nomen habet sive a loco sive a cancellorum colore sive a templo prope sito, tum Heliaea potest appellari, appellaturque sic, quum in universum de iudiciis et tribunalibus, tanquam de rebus rei publicae necessariis, agitur. Fuerit autem loquendi usus talis, ut Athenienses non ἡ μέση ἡλιαία, ἡ καινή, ἡ παράβυστος, ἡ ἐν Παλλαδίῳ, ἡ τρίγωνος, neque tantum ἡ μέση etc. solerent dicere, sed τὸ δικαστήριον subaudientes, quod plurium tribunalium coniunctionem ἡλιαίαν nuncupare consuerant, τὸ μέσον, τὸ τρίγωνον dicerent; maius quodcunque tribunal κατ' ἐξοχὴν vocarent: ἡ ἡλιαία. Itaque, quod iterum monere sufficiat, quingentorum iudicum tribunal (ut fortasse ab Antiphonte περὶ χορευτοῦ p. 774 R. ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν θεσμοθετῶν) pariter atque sex milium et est et vocatur Heliaea.

At qualis fuerit ὁ τόπος οὗτος, ἐν ᾧ ἠθροίζοντο? Schol. Ar. Vesp. 88 tradit: ὅπερ (τὸ δικ. τ. 'Ηλ.) οὕτω καλεῖται διὰ τὸ ἐν ὑπαιθρίῳ εἶναι καὶ ἡλίῳ βάλλεσθαι, et Vesp. 772: ὃ (τὸ δ.) ταύτης τῆς ὀνομασίας ἔτυχε διὰ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ αὐτὸ ἀναπεπταμένον βάλλεσθαι τῷ ἡλίῳ, et Av. 109: οὕτω δὲ ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ εἶναι τόπῳ καὶ ὑπὸ τοῦ ἡλίου βάλλεσθαι, et Nub. 862: ἡλιαστικὸν ἀντὶ τοῦ ἐκκλησιαστικόν R. V. ἡλιαία δὲ τὸ δικαστήριον διὰ τὸ ὑπαίθριον εἶναι καὶ τῷ ἡλίῳ βάλλεσθαι; et Equit. 255: ἡλιαία δὲ καλεῖται διὰ τὸ ὑπαίθριον αὐτὸ εἶναι καὶ ὑπὸ τῷ ἡλίῳ καθέζεσθαι τοὺς συνελθόντας δικαστάς. — Neque tamen propter hunc scholiorum consensum nomen Heliaeae ita derivandum esse crediderim; sed Zonaram atque Etymologum sequor, qui ἡλιαία ab ἁλίζεσθαι i. e. συναθροίζεσθαι originem ducere docent;

utrumque praebet gramm. Bekk. Anecd. p. 310: ἡλιαία δὲ ἐκλήθη ἤτοι παρὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἁλιάζεσθαι, τουτέστιν ἀθροίζεσθαι, ἢ διὰ τὸ ὕπαιθρον (ὑπαίθριον?) εἶναι τὸν τόπον καὶ ἡλιοῦσθαι. Schoemannus Op. acad. I p. 222 ἡλιαία cum Herodoteo ἁλίη et Byzantino ἁλία, ἁλίασμα componens, consessum vel concionem significari docet. — Sunt tamen scholiastarum explicationes ita comparatae, ut nos aliud quid, quod maioris dignitatis atque auctoritatis apparet esse, edoceant. Etenim schol. Ar. Vesp. 772 vel solus sufficit, siquidem poetae ipsius verba respiciamus, ut formam et Heliaeae et reliquorum tribunalium, Areopago non excepto, talem fuisse contendam, qualem scholiasta ex poeta descripserit. Namque Bdelycleo haec ad patrem v. 765:

ἐκεῖσε μὲν μηκέτι βάδιζ᾽, ἀλλ᾽ ἐνθάδε
αὐτοῦ μένων δίκαζε τοῖσιν οἰκέταις —

v. 771: καὶ ταῦτα μέν νυν εὐλόγως, ἢν ἐξέχῃ
εἵλη κατ᾽ ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον.
ἐὰν δὲ νίφῃ, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος,
ὕοντος, εἴσει, κἂν ἔγρῃ μεσημβρινός,
οὐδείς σ᾽ ἀποκλείσει θεσμοθέτης τῇ κιγκλίδι.

Ad quae scholiastae: γράφεται δὲ καὶ κατ᾽ ὀρθὸν ἐν πολλοῖς. καὶ ἐξηγούμενος Καλλίστρατός φησι, κατὰ τὸ ὀρθῶς ἔχον· οὐχὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ. Hic paullo subsistamus. Callistratus non de tribunali, sed de privata Bdelycleonis domo dictum esse existimans ita explicat, ut videatur contrariam sententiam sequi, tanquam si in tribunali, utpote aedificio, solis radii nunquam cernerentur. Lectionem vero κατ᾽ ὀρθόν, i. e. κατὰ τὸ ὀρθῶς ἔχον, convenienter, sufficienter, non malam esse, mox videbimus; in reliquis vero errasse Callistratum.

Pergit scholiasta: τὸ δ᾽ ἡλιάσῃ (μήποτε δὲ ψιλῶς προενεκτέον — ita Photius s. v. ed. Pors.) παρὰ τὴν Ἡλιαίαν, πρὸς ἥλιον δικάσειν (δικάσεις?). ἅμα δὲ παίζει παρὰ τὴν ἡλίου ὀνομασίαν. ψυχρῶς δὲ πέπαιχε, φησὶν ὁ Δίδυμος, πρὸς τοὔνομα. ἐπειδὴ γὰρ εἵλη λέγεται ἡ τοῦ ἡλίου αὐγή, Ἡλιαία δὲ τὸ δικαστήριον, παίζων ἔφησε πρὸς τὸ φιλόδικον ὅτι, ἐπειδὰν ἀνάσχῃ ὁ ἥλιος, ἡλιάζειν ἐνέσται σοι. οὕτως Δίδυμος. — Cum Callistrato

fere consentit Didymus, Aristophanem propter similitudinem nominum ἡλιαία, ἥλιος et εἵλη iisdem lusisse, quemadmodum sexcentis locus fecit. Verum res aliter se habet, opinor; neque enim Aristophanes propter sonorum similitudinem iocum fecit, neque quod, ut scholiastae ni fallor hariolantur, Heliaeam ab ἥλιος nomen accepisse, Atheniensibus notum fuisset omnibus; sed quod Heliaeam re vera solis radiis expositam esse et Aristophanes et spectatores sat sciebant. Itaque, quum omnes scirent, ἡλιαίαν idem esse quod ἁλιαία, ἁλίη, ἁλία, neque cogitarent, solem, dum eo premerentur, loco, ubi considerent, merito nomen dedisse; Comicus verborum lusu risum movebat, quasi nos diceremus in simili casu non Versammlung sed Versonnung.

Itaque v. 772: εἵλη κ. τ. λ. sic explicaverim: siquidem legimus κατ' ὄρθρον, sensus est: quum ortus fuerit calor solis mane, exercebis iudicium in sole (Dind.), i. e. mane, quum bene est in sole iudicare, iudicabis, sub meridiem nemo te coget, etiam in tribunali assidere et sudare; sub domus enim tuae umbra ac tegmine recumbes: sin legimus κατ' ὀρθόν, aeque bene verba intelligas; valent enim, ni fallor, haec: quum recte se habebit solis calor, iudicabis in sole; sive: quum sufficiet calor, quum satis erit caloris, et quae sunt similia. Etiam hic subaudiendum: meridiano tempore, quum nimium est caloris, iudicare non amplius cogeris. Obiter moneo, Dawesium Misc. crit. p. 269 πρὸς ὀρθὸν coniecisse, immemorem illum scholiastae, qui Callistratum κατ' ὀρθὸν legisse tradit.

Satis de sole solisque calore (Zonaras et Suidas: ἡλίασις, ἡ τοῦ ἡλίου θέρμη), nam qui sequuntur versus, etiam melius rem et sententiam meam explicabunt et defendent:

ἐὰν δὲ νίφῃ, πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος,
ὕοντος, εἴσει.

Ad quae scholiasta haec: ὕοντος τοῦ θεοῦ καὶ νίφοντος, γνώσῃ καθήμενος πρὸς τὸ πῦρ τὴν δίκην: quem sequutus Dind. ita vertit: si vero ningat aut pluat, ante focum sedens cognosces. Verum aliter mihi videtur explicandum esse neque ab εἰδέναι sed ab εἰσιέναι formam εἴσει derivandam. Δίκην εἰδέναι pro

δίκην γιγνώσκειν ab Aristophane usurpatum esse ignoro, verum εἰσιέναι, introire i. e. in tribunal, recte se habet, ut Vesp. 891:

εἴ τις θύρασιν ἡλιαστής, εἰσίτω,

et Eccles. 460: οὐδ' εἰς δικαστήριον ἄρ' εἶμ', ἀλλ' ἡ γυνή. Itaque sic intelligo: ad prius dictum πρὸς τὸ πῦρ καθήμενος aut ἡλιάσει aut εἴσει subaudiendum; atque illud quidem praeferendum, quod concinnius foret, si καθεδούμενος cum εἴσει coniunctum legeretur. Quae quidem latino ore sic: sive ningit, ante focum sedens iudicabis, sive pluit, introibis, i. e. quum propter tempestatem placebit, introibis, neque aut nive aut pluvio amplius premeris iudicaturus, quum domi remanebis. Tres igitur evitabis iniquitates, aestate calorem solis, vere atque autumno pluvium, hieme vel pluvium vel nivem.

Tribus autem quum tribunalia premerentur vel possent premi iniquitatibus, apparet ea et solis radiis et imbribus et id genus tempestati exposita fuisse, apparet opinor eadem aperta in locis apertis fuisse. Cui sententiae non obstat quod Dem. κατὰ 'Αριστογ. α' p. 785 dicit: οὐδὲ τοὺς προγόνους ὑπολαμβάνω τὰ δικαστήρια ταῦθ' ὑμῖν οἰκοδομῆσαι. cf. περὶ τ. στεφ. p. 268.

Ac de Heliaea quidem nullus dubito, quin locus subdialis, cancellis circumseptus fuerit, et propter amplitudinem, quum aliquot milia hominum ibi consedisse certis in causis et probabile sit et tradatur etiam a scriptoribus Graecis, et quod ex scriptoribus aliquis aedificium tam amplum, quale esset, procul dubio eodemque iure, quo templa, theatrum, odeum, similia, memoratu digna habita sunt, descripsisset. Neque etiam de reliquis licet dubitare, quin et ipsa fuerint tribunalia quaedam subdialia, quae vel a natura loci, vel a forma, ut supra coniecimus, nomen duxerint, τὸ Καινὸν dico, τὸ Μέσον, τὸ Παράβυστον, τὸ Τρίγωνον. Nub. 207 discipulus Strepsiadem docet:

αἵδε μὲν 'Αθῆναι. Str. τί σὺ λέγεις; οὐ πείθομαι,
ἐπεὶ δικαστὰς οὐχ ὁρῶ καθημένους.

Qui fieri potuit, ut hoc diceret poeta, nisi tribunalia aperta et coeli oculis non denegata esse, spectatores bene nossent omnes? Aedificia enim fuisse contecta porticuum instar, ne versus quidem

Ecclesiazusarum 676 suspicari nos sinit. Ibi enim Blepyrus ex Praxagora statum atque indolem aetatis aureae, qualis sit, quaerens, v. 673:

Bl. τὴν δὲ δίαιταν τίνα ποιήσεις; Pr. κοινὴν πᾶσιν. τὸ γὰρ ἄστυ
μίαν οἴκησίν φημι ποιήσειν συρρήξασ' εἰς ἓν ἅπαντα,
ὥστε βαδίζειν εἰς ἀλλήλους. Bl. τὸ δὲ δεῖπνον ποῦ παραθήσεις;
Pr. τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω.

Respondet Pr., quae meam causam videntur defendere, velle se urbem facere instar unius habitationis, omnia perrumpendo, ut per murum perforatum alter in alterius aedes ingredi possit, coena autem ut publice apponatur, tribunalia et porticus ἀνδρῶνες, coenacula fiant virorum. Non solum privatae aedes cum publicis permutentur, sed vita hucusque domuum umbra retecta nunc subdialis fiat; alii in porticibus, alii in foris iudicialibus assideant coenaturi, i. e. per istam bonorum omnium communionem alii tamen sub divo, iique sunt, qui pridem ibi degebant, Heliastae pauperes, minorum gentium cives, alii in porticuum umbra iique nobiliores, οἱ Φαίνιπποι, Γλαύκιπποι, — ιπποι innumeri aliique, quorum nomina illustria Bdelycleo memorat Vesp. 1220, coenabunt. Quominus enim στοὰς aut idem atque δικαστήρια aut simile quid fuisse accipiamus, impedit praeter alia etiam nomen τὸ Τρίγωνον, quum ad huius τοῦ Τριγώνου formam unquam porticum exstructam fuisse nondum audiverim. Ceterum ex istis versibus non tam formam aedium quam situm discas. Nimirum Praxagora vitam totam civium in foro et circa forum versari iubet; porticus vero, quas coenacula factura est, ἡ βασίλειος v. 685, ἡ ἀλφιτόπωλις v. 686, foro, παρὰ τὴν ἀγοράν, adiacentes, ut quotidie usui fuerint hominibus sub divo maxime degentibus, ita posthac tanquam legitimi ἀνδρῶνες et communes omnibus iubentur esse. Hinc vero dicasteria quoque ad forum sita fuisse prope omnia colligas; atque colligeres, etiamsi testimonio uti nullo posses. — Sed de hac re paullo infra, ubi de reliquis dicasteriis, quorum nomina novimus, disputabitur.

Quinque enim adhuc novimus tribunalia, nisi contenderis re vera quattuor tantum esse atque τὸ Καινὸν idem valere quod τὴν 'Ηλιαίαν. Fieri enim Periclis tempore potuit, ut non tam novo quam maiore opus esset tribunali, idque maius esset, quod prae reliquis vocaretur 'Ηλιαία; potuit, inquam, fieri vel propter mercedem recens constitutam. Quare potissimum τὸ καινὸν a Xanthia nominatur Vesp. 120, quod et maximum et notissimum, utpote aetate novissimum fuerit. — Potuit quoque fieri, ut, quum reliqua tribunalia in foro vetere sita essent, locus iudicii in novo selectus foro etiam novi acciperet nomen.

Reliquum est, ut verbo tangam Areopagum aliaque fora iudicialia, quorum non apud Aristophanem sed a scholiastis Comici fit mentio. Scholiasta igitur L. B. (cod. Voss. Leid. et Parisiens. 2715) ad Plut. 1166: περὶ δὲ τῶν γραμμάτων καὶ δικαστηρίων 'Αθηναίων ἔφημεν ὄπισθεν (i. e. ad 277), πῶς ἐν ἑκάστῳ ἦν γεγραμμένον στοιχεῖον, ἐν μὲν τῷ 'Αρεοπάγου δικαστηρίῳ πρὸ τῶν θυρῶν ἐπεγέγραπτο α', ἐν δὲ τῇ 'Ηλιαίᾳ η', ἐν δὲ τῷ ἐν Φρεαττοῖ δ', καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ὡσαύτως· διὰ τοῦτο ἔφη, σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν. et schol. Ven. ad Plut. 1167: γεγράφθαι] ἀντὶ τοῦ ὠνομάσθαι, ὥστε καὶ ἡλιαστὰς εἶναι καὶ πανταχοῦ ἑαυτοὺς ἐγγραφῆναι σπουδάζοντες. βούλονται δὲ ἐν 'Αρείῳ πάγῳ, βούλονται δὲ καὶ ἐν ἄλλῳ δικαστηρίῳ ἀναστρέφεσθαι (Ald. ἀναγράφεσθαι, quod praeferendum duco, nisi malis ἐγγράφεσθαι) διὰ τὸ μὴ ἀργεῖν ὅλως. (Cfr. Steph. Byz. s. v. 'Αρ. π., fragm. Philochor. apud Muellerum I p. 386 sq. 394, iteam Hellanic. l. l. p. 54. 56.)

Novem tribunalium, Areopago excepto, nomina Pausanias I, 28, 8 sqq. percenset. Sunt autem τὸ Παράβυστον, τὸ Τρίγωνον, τὸ Βατραχιοῦν, τὸ Φοινικιοῦν, ἡ 'Ηλιαία, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, τὸ ἐν (Poll. VIII, 120 ἐπὶ) Πρυτανείῳ, τὸ ἐπὶ Φρεαττοῖ sive Φρεαττύς. De quinque vero foris Areopagi, Palladii, Delphinii, Prytanei, Phreattyis liquide et exposite dixit Dem. κατὰ 'Αριστοκρ. p. 641—645; eadem vocat p. 640 πέντε δικαστήρια. Decem fuisse fora iudicialia Athenis scholiastae Arist. Plut. 277 pluribus tradunt. In isto igitur catalogo desunt nomina,

quae ex ipso Aristophane atque scholiastis novimus: τὸ Καινόν, τὸ μέσον et si placet τὸ πρὸς τοῖς τειχίοις: desunt porro τὸ ἐπὶ Λύκῳ Pollucis VIII, 121, τὸ Μητίχου eiusdem scriptoris; qui discernit praeterea τὸ μέσον παράβυστον, τὸ μεῖζον παράβυστον, quibus additis multo maior efficitur numerus tribunalium. Pollux autem undecim nominat praeter Areopagum: τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ (v. Eustath. 1419, 52), τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τὸ ἐν Φρεαττοῖ; tum γνώριμα δικαστήρια ἡ Ἡλιαία, τὸ τρίγωνον, οὗ μέμνηται Δείναρχος, μέσον παράβυστον, μεῖζον παράβυστον, καὶ μείζονος δὲ μέμνηται Λυσίας, τὸ Μητίχου κάλλιον, τὸ ἐπὶ Λύκῳ. Addit de Meticheo: τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν ἐπὶ ἀρχιτέκτονος Μητίχου; undecimum denique τὸ ἐν Ἀρδήττῳ VIII, 122. — Schoemannus in Appendice de dicasteriis (Opusc. acad. I, 223) non dubitat quin e cod. mss. legendum sit (nos Bekkeri textum exhibuimus): Μέσον, Παράβυστον, Μεῖζον. Παραβύστου δὲ καὶ Μείζονος μέμνηται Λυσίας. Hinc octo tribunalium nomina in lucem prodeunt, quae non sunt a nominibus propriis sumta: τὸ Τρίγωνον, τὸ Παράβυστον, τὸ Μέσον, τὸ Μεῖζον, τὸ Βατραχιοῦν, τὸ Φοινικιοῦν, τὸ Καινόν, denique ἡ Ἡλιαία. Quibus, si fieri possit, nonum quoddam hucusque viris doctis inauditum addere possim, τὸ Κλεψυδροῦν a Suida fictum, apud quem legitur: κλεψυδροῦν τὸ δικαστήριον. Bernhardyus breviter: „Vox ab errore profecta". Quod facile erat pronuntiare. Melius Kusterus explicavit, quem vide. Equidem, si nomen dicasterii re vera lateat, κλεψυδριοῦν id fuisse dixerim. De Metichi dicasterio (Καλλεῖον nomen eius? vid. Schoem.) Schoemannus l. l. p. 224: „Erat haud dubie templum, in quo iudicia haberi solebant, aut conditum a Meticho quodam architecto, quod vult Iulius Pollux, aut si orator fuerit ille Metichus, eius consilio sive exstructum sive iudiciis habendis destinatum." In quo quum non placeat coniectura Καλλεῖον, pace lexicographorum κάλλιον nihil aliud esse quam pulchrius tribunal dixerim (vid. Lex. rhet. p. 269 sq.) nomenque templi cuiusdam cum dicasterio a grammaticis confusum. Immo, si coniecturae locus detur, quum a Polluce addatur: τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, coniecerim hoc Metichi

tribunal novum illud, τὸ Καινόν, fuisse et pro κάλλιον καινὸν scribendum esse. Item, quum a Polluce vocatum sit μέγα δ., quidni potest fuisse ipsa ἡ Ἡλιαία? Huius enim originem, ut supra ostendere conatus sum, recentiorem et Clisthene et Aristide, in dies adauctus significare potest iudicandi amor; potest etiam Ephialtae ψήφισμα et omne omnino Periclis circa iudicia populi studium. Cuius quidem auctoritate Metichus novum exstruxerit tribunal; qui, ut ait Plut. praec. reip. g. c. 15: τῶν Περικλέους οὗτος εἷς ἦν ἑταίρων, τῇ δι' ἐκεῖνον, ὡς ἔοικε, δυνάμει χρώμενος ἐπιφθόνως καὶ κατακόρως.

Reliqua quae Pollux nominat dicasteria, τὸ ἐπὶ Λύκῳ, τὸ Φοινικιοῦν, τὸ Βατραχιοῦν, re vera Athenis exstitisse, neque nomina ista ad reliqua fortasse notiora transferenda esse, Schoemannus l. l. p. 225 sqq. contendit. Neque quod contradicam satis est; quamquam haud contemnenda est res, Lycum fuisse omnium tribunalium heroem, schol. Vesp. 388. 389. Itaque Philocleo, quum suum sibi tribunal constituat, Lyci simulacrum filium poscit v. 819: θήρῳον εἴ πως ἐκκομίσαις τὸ τοῦ Λύκου. Tum unumquodque tribunal suo colore tinctum et insignitum fuisse, ex Aristotele apud schol. Plut. 278 novimus. Fieri ergo potuerit, ut haec tria tribunalia a potiori nomen duxerint. Contra Leake Topogr. Ath. p. 258 tribunalia τὸ ἐπὶ Λύκῳ et τὸ Μητίχου eadem atque illa, quae τὸ Βατραχιοῦν et τὸ Φοινικιοῦν audiunt, fuisse coniicit, ut numerum denarium a Pausania traditum defendat et servet.

Numerus igitur tribunalium haud paullo maior exstare videtur quam schol. Arist. Pl. 277 voluit. Quamquam quem Schoem. ex Plut. de genio Socr. c. 10 affert locum: πορευομένοις αὐτοῖς διὰ τῶν Ἑρμογλύφων παρὰ τὰ δικαστήρια σύες ἀπαντῶσι, eo non nova quaedam significari tribunalia cum ipso Schoemanno crediderim. Verum enim vero restat Pausaniae et scholiastae Aristophanis et, quem potissimum duco auctorem, Comici ipsius auctoritas; qui omnes decem fuisse tribunalia Athenis tradunt, diserte omnes ac disertissime Aristophanes Eccl. 681 sqq. Ibi

Blepyro, vascula, in quae sortes coniiciantur, ubi reponantur, quaerenti, Praxagora respondet:

— ἐς τὴν ἀγορὰν καταθήσω,
κᾆτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ, κληρώσω πάντας, ἕως ἂν
εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων, ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ.
καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ βῆτ' ἐπὶ τὴν στοιὰν ἀκολουθεῖν
τὴν βασίλειον δειπνήσοντας, τὸ δὲ θῆτ' εἰς τὴν παρὰ ταύτην,
τοὺς δ' ἐκ τοῦ κάππ' ἐς τὴν στοιὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν.

Ludit Comicus, ut semper; quippe quum antea Praxagora dixisset,

τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω,

nunc poeta non dicasteria, sed quo sortiti eant coenatum, porticus nominat. Ac quum de reliquis nihil haberet in promptu, lusit tantum verbis βῆτα et βασίλειος, κάππα et, quod proximo versu sequitur, κάπτωσι. Poterat etiam verbis ἄλφα et ἀλφιτόπωλις ad iocandum uti, si in tali re praecipere sani iudicii est. Hinc vero discimus, comparatis reliquis scriptoribus, decem fuisse Athenis tempore Ecclesiazusarum fabulae dicasteria (cfr. Aristot. Pol. IV, 13, 1, qui multo plura nosse videtur). Decem tribus, decem tribunalia! Eundem numerum probat Leake Topogr. Ath. p. 258, quem numerum si legitimum esse velimus, necesse erit, unum alterumve e nominibus supra enumeratis, e. g. τὸ Βατραχιοῦν, τὸ Φοινικιοῦν, tollere. Cui rei quum vires meae non sufficiant, una restat quaestio, utrum in hoc, qualiscunque est, tribunalium numero Areopago locus fuerit necne.

Si scholiastam Plut. 1167 ducem sequemur, non solum Areopagum ex tribunalibus illis Aristophanis temporibus fuisse, sed etiam heliastas in eodem iudicasse fatebimur; deinde, si schol. Plut. 1166: ἐν μὲν τῷ τοῦ Ἀρεοπάγου δικαστηρίῳ πρὸ τῶν θυρῶν ἐπεγέγραπτο α': verum dixisse credamus, Areopagitas ut reliquos iudices sortitione electos esse, Areopagitas heliastas fuisse necesse est, et perinde fuisse, utrum quis Areopagum an Novum an Medium an aliud quodlibet tribunal sorte acciperet. Pervetustam Areopagi auctoritatem et sanctitatem abstulerat Periclis aetas, eo potissimum quod eum δικαστήριον magis quam βουλὴν esse volebat. Atque iudicialis fori auctoritas non ita

magna fuerit et propter exiguum iudicum numerum (Pollux VIII, 125) et propter iurisdictionem singularem. Quare Pollux l. l. κατὰ μικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν ἐφετῶν δικαστήριον. Quod in Areopagum quoque videtur cecidisse, quamquam, ut idem Pollux ait, Σόλων δὲ αὐτοῖς προσκατέστησε (ita Bekker, malim προκατέστ.) τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν. Nimiam iudiciorum simplicitatem, velut illud ὑπαίθριοι ἐδίκαζον Poll. VIII, 118, cum reliquis tribunalibus communicabat, Antiph. π. τ. Ἡρώδου φόνου p. 70: ἅπαντα τὰ δικ. ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου. Quod vero Vitruvius II, 1 narrat, Athenis Areopagi antiquitatis exemplar ad hoc tempus luto tectum, id recte Leake Topogr. Ath. p. 256 de curia potius quam de foro iudiciali dictum esse confirmat. Areopagus igitur quum utrumque antiquitus esset, et curia βουλή et tribunal δικαστήριον, prius usque ad Periclis aetatem praestabat; inde alterum successit. Quare Isocrates quum laudes Areopagi effert, ubique de curia loquitur, ut §. 37: οὕτω γὰρ ἡμῶν οἱ πρόγονοι σφόδρα περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας ἧς οὐχ οἷόν τ' ἦν μετασχεῖν πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι καὶ πολλὴν ἀρετὴν ἐν τῷ βίῳ καὶ σωφροσύνην ἐνδεικνυμένοις, ὥστ' εἰκότως αὐτὴν διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων: vid. et l. l. §. 46, 51, 55. Quae tamen oratio omnis, desiderio meliorum Solonis et quae sequuntur temporum plena, pro sua parte ostendit, Isocratis aetate rem longe aliam fuisse. — Ceterum quae de Areopago, Palladio, Delphinio, Prytaneo, Phreattensi praesertim a Schoemanno (Att. Proc.; Antiq. iur. p. Gr.; Gr. Alterth.; Opusc. acad.) aliisque disputata sunt diligentissime, ea nunc repetere non est opus.

VII. Iam numerum iudicum, qualis fuerit, novimus, item nomina tribunalium, quorum situm praeter Schoemannum in l. l. et Att. Proc. Leakius Topogr. Athen. p. 123. 170. 196. 198. 259. 260 pluribus descripsit. Nos quidem, quum de hac re nihil novi nos scire fateamur, libenter Schoemannum aliosque sequimur duces. Itaque pergamus ad novam quaestionem, quae est de *numero dierum*, quibus iudicia haberi potuerint. Huc ex Aristophane pertinent fere haec. Vesp. 303:

ἄγε νυν, ὦ πάτερ, ἢν μὴ
τὸ δικαστήριον ἄρχων
καθίσῃ νῦν, πόθεν ὠνη-
σόμεθ' ἄριστον;

et Eccles. 687:

ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα
μὴ 'ξελκυσθῇ καθ' ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶμεν ἅπαντες,

Thesmoph. 78:

ἐπεὶ νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια
μέλλει δικάζειν οὔτε βουλῆς ἔσθ' ἕδρα,
ἐπεὶ τρίτη 'στὶ Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Ex quibus duo priora loca demonstrant, dies iudiciorum non certos fuisse, neque eos, qui iudicatum venerant, omnes omnibus diebus iudices factos esse, licet cives suos quam maxime φιληλιαστὰς fuisse Comicus praesertim Av. 39—41. 44, notaverit. Numerus autem dierum, quem ex Aristoph. Vesp. suspicari licet, trecentorum, v. 661:

ἀπὸ τούτου νυν κατάθες μισθὸν τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ
ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθεν,
γίγνεται ἡμῖν ἑκατὸν δήπου καὶ πεντήκοντα τάλαντα,

iam Boeckhio Staatsh. I, 253 nimius nec verus fuisse videtur. Ac summo iure id quidem. In Vespis enim l. l. Bdelycleo patri, qui se Athenarum, omnium rerum dominum esse gloriatur, monstraturus, quantilli re vera dominus sit, maximum et dierum et iudiciorum numerum computando centum et quinquaginta talenta efficit, ne tertiam decimam quidem partem vectigalium; vel, ut Philocleo ait stupefactus:

οὐδ' ἡ δεκάτη τῶν προσιόντων ἡμῖν ἄρ' ἐγίγνεθ' ὁ μισθός;

ubi pro ἄρ' legerim ἄν: ne decima quidem nobis vectigalium pars eveniret? scilicet, si omnibus, quibus fieri posset, diebus iudicia a plenissimis iudicum collegiis haberentur? De hac igitur dierum summa permultos demendos esse censeo; primum eos, qui concionibus populi destinati erant (ἀδυνάτου ὄντος αὐθημερὸν ἐκκλησίαν ἅμα καὶ δικαστήριον γενέσθαι Dem. κατὰ Τιμοκρ. p. 726) numero secundum Boeckhium Staatsh. I, 249 fere quin-

quaginta, i. e. praeter ordinarias cuiusque prytaniae quattuor conciones singulos dies singulis prytaniis extra ordinem. Quem numerum Athenienses plerumque coacti erant non tam trioboli amore quam temporum angustiis, multum excedere (v. Boeckh. l. l. et quem laudavit Aesch. περὶ παραπρεσβ. p. 251). Quibus diebus vero concio convocata erat populi extraordinaria, iudicia habita esse non possunt quum propter mercedis aequalitatem, tum propter cives ipsos, qui concionari et iudicare eodem die non poterant. Numerum ecclesiastarum Boeckhius fere octo milium fuisse censet l. l.; immo non multo plures sex milibus plerumque esse potuisse. Iam licet ad ecclesiastas etiam iuniores intra XXX annos nati pertinuerint, fieri tamen non potuit, ut civitas in duas divideretur partes, iuventus concionibus, aetas provectior iudiciis tribueretur. At fuerunt haud dubie iidem cives et iudices et concionantes, ut iam supra explicare studui; nam praeter eos, qui causis quibuslibet impediebantur, quominus summo civis officio, curiae et tribunali, satis facerent, quattuordecim milia civium ut Athenis degerent, qui reipublicae negotiis vacare potuissent, nullum fere tempus scio, quod potuerit permittere.

Deinde multis praeterea diebus iudicia habere cives prohibiti fuerint; quamquam Hudtwalckeri (Diaet. p. 30) sententiam, toto mense Scirophorione iustitium fuisse, Boeckhius l. l. p. 253 iure suo improbat. Hiemis et veris tempore, quum spectaculis populus delectaretur, nonne multo plures dies, quam vulgo fit, spectaculis concedendi sunt, magnis praesertim Dionysiis et Lenaeis? Tempestate quidem mala iudices non deterrebantur; senex ille choragus in Arist. Vesp. 260, cui filius clamavit:

τὸν πηλόν, ὦ πάτερ πάτερ, τουτονὶ φύλαξαι!

placide: ἀλλ' οὑτοσί μοι βόρβορος φαίνεται πατοῦντι,
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐχ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον
ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι.
ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες,
*) φιλεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα,

*) Non recte Hirschigius hunc versum spurium esse iudicavit: egregie enim ad garrulitatem senum depingendam valet; neque tamen cum Petro

et quae sequuntur; cfr. v. 774. Verum tamen, quum omnibus, quibus potuit, diebus in omnibus tribunalibus ab omnibus, qui sortitione electi erant, iudicibus iudicia habita esse, demonstrare nunquam possimus, cur non Aristophanem sequimur, qui l. l. paene contraria dicit? Satis de diebus, quum unum hoc de *exordio* iudiciorum addidero.

Famuli Bdelycleonis cavent, ne Philocleo pater ante lucem perrumpat. Is enim quum in somnis tum insomnis nihil nisi iudicia et cogitat et videt, omnique ratione primus adesse studet sortitioni. Cuius effrenatam iudicandi libidinem facetissime famulus v. 103 depingit:

εὐθὺς δ' ἀπὸ δορπηστοῦ κέκραγεν ἐμβάδας,
κἄπειτ' ἐκεῖσ' ἐλθὼν προκαθεύδει πρῴ πάνυ,
ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῇ κίονι.

Quidquid filius tentavit, ut patrem coerceret, frustra tentavit; v. 124:

ὁ δ' ἀνεφάνη κνεφαῖος ἐπὶ τῇ κιγκλίδι.

Chorus quoque senum, qui eodem studio flagrant, multa nocte nidum vix calefactum reliquit, ut primus esset ad cancellos, v. 244:

ἀλλὰ
σπεύδωμεν, ὦνδρες ἥλικες, πρὶν ἡμέραν γενέσθαι.
χωρῶμεν, ἅμα τε τῷ λύχνῳ πάντη διασκοπῶμεν,
μή που λίθος τις ἐμποδὼν ἡμᾶς κακόν τι δράσῃ.

Itaque Bdelycleo v. 218:

ἀλλ' ἀπὸ μέσων νυκτῶν γε παρακαλοῦσ' ἀεί.

Illius quoque memineris, quem supra attulimus, v. 771:

ἢν ἐξέχῃ
εἵλη κατ' ὄρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον.

Victorio ad φιλεῖ subaudiri ὁ Ζεύς necesse est; impersonaliter dictum ut ipsum ὕει sive ποιεῖ ὑετόν: solet quam maxime, quum istud fit, pluere. φιλεῖν autem, solere, legimus cum nominativo et infinitivo coniunctum Nub. 813:

φιλεῖ γάρ πως τὰ τοιαῦθ' ἑτέρᾳ τρέπεσθαι,

i. e. solent enim fere einsmodi res in alteram (contrariam) partem abire sive se convertere.

Ex his, opinor, colligas, iudices strenuos festinasse ad tempus adesse, potissimum ni fallor trioboli causa, maximi istius irritamenti iudiciorum.

Atque mane adesse, qui iudicaturi essent, etiam propterea necesse erat, quod satis multum temporis in sortiendis iudicibus consumebatur. Immo versum 771 etiam atque etiam consideranti mihi ipsum sortiendi negotium tempus matutinum fere totum occupasse videtur, ut meridiano demum tempore iudicia constitui possent. Fieri enim potuit, ut aliquis sero accurreret sperans fore ut sortitio nondum finita esset, deceptus autem spe a thesmotheta excluderetur.

Quod fore ut patri non amplius accidat, Bdelycleo promittit v. 774:

κἂν ἔγρῃ μεσημβρινός,
οὐδείς σ' ἀποκλείσει θεσμοθέτης τῇ κιγκλίδι.

At quo tandem ruit turba iudicum avida? Nomina quidem aliquot novimus tribunalium, de quorum numero magna est inter doctos disceptatio. Superest igitur ut de *forma* tribunalium quid nos Comicus doceat, pervestigemus. Qua in re, ut in reliquis, id maxime cupio, ut ad poetae verba explicanda aliquid subsidii afferam, bene gnarus, plus me voluisse quam valuisse.

Nominantur autem ab Aristophane partes tribunalium fere hae: οἱ δρύφακτοι Vesp. 830. 386. 552. Equit. 675; ἡ κιγκλίς Vesp. 124. 775. Equit. 641; αἱ σανίδες Vesp. 349; τὸ πρῶτον ξύλον Vesp. 90. Ach. 25; τὸ βῆμα Eccles. 678; τὰ κληρωτήρια Eccl. 681; οἱ καδίσκοι Vesp. 321. 853. 854; ἡ κλεψύδρα Vesp. 93. 857. Ach. 694. (Av. 1695); τὸ τοῦ Λύκου ἡρῷον Vesp. 389. 819.

VIII. Οἱ δρύφακτοι, cancelli, ita a schol. explicantur ad v. 386: δρύφακτοι γὰρ ξύλινοι θώρακες, τὰ διαφράγματα, ἢ τὰ περιτειχίσματα, ἢ κιγκλίδες, περιφράγματα τὰ νῦν ταβλωτὰ καλούμενα, τὰ τῶν οἰκοδομημάτων ἐξέχοντα ξύλα. ἐνταῦθα δὲ τὰ ταβλώματα τοῦ δικαστηρίου, διὰ τὸ ἐκ σανίδων καὶ ξύλων τῶν ἐκ δρυὸς εἶναι κατεσκευασμένα. λέγει δὲ ἀπὸ μέρους τὸ δικαστήριον. In his, ut reliqua taceam, multa sunt admixta aliena, ut ἡ κιγκλίδες, τὰ

τῶν οἰκοδομημάτων ἐξέχοντα ξύλα; alia non recte explicata, ut λέγει ἀπὸ μέρους τὸ δικαστήριον. Quae quidem expediam, ubi reliquas scholiastarum et grammaticorum explicationes attulero. Schol. Vesp. 552: φράγμασι τοῦ δικαστηρίου explicat δρυφάκτοις; schol. Rav. tantum habet τοῖς δικαστικοῖς, scilicet ne confundantur cum ἐκκλησιαστικοῖς. Schol. v. 830: δρύφακτος τὸ παρατεινόμενον ξύλον τοῖς δικασταῖς. Schol. Eq. 675: τὰ νῦν ταβλώματα καλούμενα. τὰ τῶν οἰκοδομημάτων ἐξέχοντα ξύλα ἢ τὰ κάγκελα, δρυόφακτός τις ὤν. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι πᾶν δένδρον δρῦν ἐκάλουν, ὥσπερ καὶ ἀκρόδρυα τὰ ἄκρα τῶν δένδρων. τουτέστιν ὁ ἐκ δρυὸς φραγμός. — Cum scholiastis lexicographi fere consentiunt, ut Suidas s. v. δρύφακτος cum schol. Vesp. 386. Etymol. M. ex parte cum schol. Eq. 675. Similiter Zonaras s. v. Etym. Gud., quod tamen pro ἢ κιγκλίδες praebet: ἢ αἱ τῶν δικαστηρίων θύραι. Ita Hesychius s. v. δρύφακτοι: αἱ τοῦ δικαστηρίου θύραι, et Moeris: δρύφακτος ἡ θύρα τοῦ δικαστηρίου Ἀττικοί. Vnde derivandum sit verbum, ambigitur. Secundum Etym. M. et Zonaram εἴρηται κυρίως πάντα τὰ ἀπὸ ξύλων γινόμενα. — Iam apud Artemidorum II, 10, ut ad Hesychium monet Albertus, male legitur δρύσφαρκτος. Licetne inde suspicari, pro δρύφακτος ubique legendum esse δρύφαρκτος i. e. δρύφρακτος? Vterque enim et Etymologus et Zonaras haec (v. schol. Eq. 675): δρυόφακτός τις ὤν, ὁ ἐκ δρυῶν φραγμός. Verum uterque etiam haec: ἢ παρὰ τὴν δρῦν καὶ τὸ πακτῶσαι, ὅ ἐστι πῆξαι, δρύπακτος καὶ δρύφακτος. Quid causae fuerit Atheniensibus pro δρύπακτος nuncupare δρύφακτος, non video; magis est consentaneum, pro δρύφαρκτος usurpatum esse δρύφακτος. Omnes enim explicationes in eo fere consentiunt, δρυφάκτους circumcinxisse dicasterii locum; quippe explicantur per θώρακας, διαφράγματα, περιτειχίσματα, per κάγκελλα aut καγκέλλους i. e. cancellos (de quibus v. Du Cange Gloss. s. v.). Philocleo, qui nihil nisi cancellos videt, verbis quoque amat uti, quae circa dicasteria versantur; v. 352:

πάντα πέφαρκται κοὐκ ἔστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ σέρφῳ διαδῦναι.

Δρύφρακτος porro sive quod malim δρύφαρκτος egregium habet socium, Ach. 95:

πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφρακτον (s. ναύφαρκτον) βλέπεις, quem versum varie scholiastae explicant; sensus est: per deos, homo, stationis instar navium oculum habes immensi circuitus. Paullo enim aliter interpungere malim, quam vulgo fit:

πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπε, ναύφρακτον βλέπεις!
ἢ περὶ ἄκραν κάμπτων νεώσοικον σκοπεῖς;

Itaque quum perspicuum esset, τοὺς δρυφάκτους ligneum esse murum tribunalium, recte Philocleo potuit rogare v. 385:

ἤν τι πάθω 'γώ,
ἀνελόντες καὶ κατακλαύσαντες θεῖναί μ' ὑπὸ τοῖσι δρυφάκτοις:

quod fieri non poterat, si vel de lapideis muris vel de aedificio quodam artificiose exstructo cogitamus. Neque cum cancellis ita, ut grammatici faciunt, οἱ δρύφακτοι comparandi sunt, quum illi intra tribunalia iudicum sedes a reliquo spatio secernant, hi vero totum tribunal circumsepiant. Neque pars pro toto posita est, ut scholiasta voluit: λέγει ἀπὸ μέρους τὸ δικαστήριον, quum non in dicasterio sed sub ipsis δρυφάκτοις, cancellis, sepeliri se cupiat senex.

Illi igitur δρύφακτοι, ξύλινοι θώρακες, quam modicae fuerint altitudinis, Aristophanes docet, quum dicit Equit. 675:

εἶθ' ὑπερεπήδων τοὺς δρυφάκτους πανταχῇ:

memorabilis locus, et concionum et iudiciorum cancellos, τοὺς δρυφάκτους, eiusdem generis fuisse demonstrans, quum ceteroquin ἡ ἐκκλησία et τὸ δικαστήριον vel οἱ ἐκκλησιασταὶ et οἱ δικασταὶ inter se saepius permutentur; ut schol. Rav. Eq. 42 πυκνίτης explicat: πνὺξ τὸ ἐν 'Αθήναις δικαστήριον.

IX. Vnicus, ut videtur, et in dicasterium et in senatum (Dem. κατὰ 'Αριστογ. α' p. 776) introitus appellatur ἡ κιγκλίς, tum αἱ κιγκλίδες. De qua schol. Vesp. 124: κιγκλὶς ἡ θύρα τοῦ δικαστηρίου: quod alii cuidam iterum ἀπὸ μέρους dictum videtur esse, quum addit: ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ δικαστηρίῳ ὁ πατήρ. Sed diu ante portas stare cogebantur, qui κνεφαῖοι venerant. Aristoph. Daetalensibus ap. Harpocr. s. v. κιγκλίς· ὁ δ' ἡλιαστὴς εἷρπε πρὸς τὴν κιγκλίδα. Porro schol. Eq. 641: τὴν κιγκλίδα: τὴν θύραν, τὸ κάγκελον τοῦ δικαστηρίου. ἰδίως δὲ τὰς διπλᾶς θύρας οὕτω κλη-

τέον, ἅς τινες δικλίδας φασίν. ἡ κιγκλὶς ἰδίως ἡ τρόπη, δι' ἧς ἡ κιγκλὶς πέμπεται. In his animadvertas τὴν κιγκλίδα etiam per τὸ κάγκελον explicari; quemadmodum schol. Vesp. 386 τοὺς δρυφάκτους per κιγκλίδας interpretatur. Vtrumque interpretamentum praebet Pollux VIII, 124 ἃς (κιγκλίδας) οἱ 'Ρωμαῖοι καγκελλωτὰς λέγουσιν, Photius s. v. et Suidas, prius schol. Vesp. 124, Zonaras et Harpocratio, Etymologus autem Magnus pluribus rem exposuit: ἡ καγκελοθυρίς, θύρα δικτυωτή (i. e. funibus facta, an retis instar multos oculos habens?), μάλιστα δ' ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τοιαῦται ἦσαν, ἵνα ταχέως ἀνοίγωνται καὶ κλείωνται. συνεχῶς γὰρ εἰσῄεσαν καὶ ἐξῄεσαν. γέγονεν οὖν παρὰ τὸ κλείω. ἡ κυκλίς τις παρὰ τοὺς κύκλους τοὺς ἀποτελουμένους κλειομένης αὐτῆς. Etymol. Gudianum s. v. mutilum est, novique praebet nihil; Etymol. autem Magni derivatio haud sane veri est similis. Κιγκλὶς enim avis, πυκνὰ τὴν οὐρὰν κινοῦσα, videtur potius a ianua ista semper turbata nomen duxisse. Altera autem verbi pars -κλις, quum a κλείω haud dubie derivanda sit, altera sonum strepentis ianuae imitatur; compares Homericum κάγκανα ξύλα, de ligno dictum propter aritudinem sonante. An mavis in κιν latere κινέω, quo perpetuus motus significetur? συνεχῶς γὰρ εἰσῄεσαν καὶ ἐξῄεσαν.

Hunc igitur dicasterii introitum thesmothetarum custodiebat unus, aut si decem iudicia eodem die constitui oportebat, singulis iudiciis singuli praeerant archontes, ut ad scribam quoque publicum id negotium pertineret. Qui iudicibus, ubi πινάκια et quae opus erant, monstraverunt, aditum concesserunt, sero venientes eosque necessariis rebus non instructos ab introitu intercluserunt, ut patet ex Vesp. 774: κἂν ἔγρῃ μεσημβρινός, οὐδείς σ' ἀποκλείσει θεσμοθέτης τῇ κιγκλίδι. Hinc κιγκλιδάριοι, cancellarii, medio aevo magistratus nomen, apud Suidam s. v.

X. Sequuntur αἱ σανίδες, quarum triplex est apud Aristophanem usus; in Vesp. 349 significant cancellos, ibid. 848 tabulas quasdam; in Thesmophoriazus. 931. 940. 1165 asserem, cui lictor (ὁ τοξότης) alligat damnatum. Ad versum enim Vesp. 349 scholiasta haec: διὰ τῶν σανίδων] τῶν δρυφάκτων, ἵνα λέγῃ ἐπιθυμῶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐλθεῖν. Vtrumque videtur significare

posse, et τοὺς δρυφάκτους et τὴν κιγκλίδα, quum apud Homerum saepissime haec ianuae significatio obveniat; ipsumque illud Comici διὰ τῶν σανίδων utrumque permittat intelligere. Lexicographi, quos equidem inspexi, de hac quidem τῶν σανίδων significatione nihil tradunt. Τοὺς δρυφάκτους autem pariter atque τὴν κιγκλίδα, quum σανίδες appellentur, ligneos fuisse per se apparet. De altera verbi significatione scholiastae et lexicographi locupletiores sunt: ad Vesp. 349: ἢ σανίδων φησὶ τῶν περιεχουσῶν τὰ ὀνόματα τῶν εἰσαχθησομένων εἰς τὸ δικαστήριον, ποῖον δεήσει πρῶτον εἰσαχθῆναι καὶ κατὰ τάξιν (malim κατὰ τίνα τάξιν). Etym. M. σανίς, οἷον τανίς, παρὰ τὸ τετάσθαι, τὸ ἐπίμηκες ξύλον, σανίδες δὲ ἐν οἷς ἐγγράφονται οἱ ὀφείλοντές τι καὶ οἱ ἠδικηκότες τι. Cuius explicationis testes habemus Isocr. περὶ ἀντιδόσ. p. 111. Dem. κατὰ Ἀριστογ. α′ p. 791. V. Zonaram, qui priorem tantum partem cum Etym. M. communem habet, et schol. Apoll. Rhod. I, 787 p. 348, 12 Keil. Videntur autem tabulis illis similes fuisse, quae κύρβεις vocantur, de quibus schol. Ap. Rh. IV, 280 p. 497, 27: ὕστερον δὲ [εἰς] ξύλα λελευκωμένα γράφοντες ὁμοίως ἐκάλεσαν (i. e. κύρβ.). H. Steph. s. v. σανίς et κύρβεις. Lex. rhet. Bekk. Anecd. p. 303 s. v. σανίς. Dem. κατὰ Ἀριστογ. α′ p. 791. Photius: σανίς, καὶ ἐν ᾗ τοὺς κακούργους ἔδουν καὶ ἐν ᾗ τὰς δίκας ἐνεχάραττον· τὸ μὲν ἐν Θεσμοφοριαζούσαις, τὸ δὲ ἐν Σφηξὶ δεδήλωται. atque idem: σανίδα, τὸ λεύκωμα ὅπου αἱ δίκαι λέγονται, et iterum: σανίδα, τὸ δεσμωτικὸν ξύλον. Hesychius: σανίς, θύρα, (ut paullo supra σανίδες, θύραι), λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τοὺς κακούργους. τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ (h. e. de assere, qualis est apud Aristoph. Thesm. l. l.). Si quidem αἱ σανίδες tabulae sunt, in quibus reorum nomina et causarum ordo erant perscripta, Philocleo l. l. etiam per has tabulas ruere voluisse cogitandus est. Vnde sequeretur, tabulas istas proxime introitum stetisse, columnis sive longuriis (περίμηκες ξύλον) alligatas, ut quivis, quid ageretur, praetereundo legere posset.

Longe diversae ab his tabulis, quas tribunalium fuisse ap-

paret, eae tabulae videntur fuisse, quarum Bdelycleo mentionem facit v. 848:

φέρε νυν, ἐνέγκω τὰς σανίδας καὶ τὰς γραφάς;

modo scholiastam sequamur, qui haec habet: σανίδας φησὶν δέ, ἐν αἷς ἔγραφον τὴν μακρὰν ἢ τὴν βραχεῖαν τῆς δίκης· γραφὰς δὲ νῦν ἀντὶ τοῦ τὸ γραφεῖον (l. τοῦ γραφείου) ἐν ᾧ ἔγραφον. Sed fallitur, opinor, scholiasta: proxime ante cancelli qualescunque a sene apportantur: filius ut omnibus rebus perfectum reddat tribunal, tabulas accusatorias allaturus est. Hae sunt istae σανίδες, quibus accusationes inscriptae sunt. Videtur autem scholiasta verbo ἀλοκίζειν, quod proxime sequitur, permotus suam explicationem, non poetae, dedisse. Quidni Comicus, si istud voluisset, φέρε νυν, φέρω (κομίσω) τὸ πινάκιον τιμητικόν vel simile quid dixisset? Itaque quum altero loco de cancellis videatur agi, deque ligneis tabulis altero, Thesmophoriazusarum versus tres fortasse eundem asserem significant, cui, quum iudicium habetur, tabulae istae alligantur, iudicio finito malefici alligantur. Verum hoc in medio relicto ad reliqua pergam. Iam enim sumus intra tribunalis cancellos, ianuam aperuerat thesmotheta eiusque lictores; tabulas perlegimus. Iam festinant iudices ἐπὶ τὸ π ρ ῶ τ ο ν ξ ύ λ ο ν accurrere.

XI. Ad versum Vesparum 90:

καὶ στένει,
ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου,

scholiasta tantum haec: ξύλον ὃ ἡμεῖς βάθρον, καὶ ἐν Ἀχαρνεῦσιν (v. 25). Ad Acharnensium autem versum 25:

εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς
ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου:

et paullo infra v. 42:

εἰς τὴν προεδρίαν πᾶς ἀνὴρ ὠστίζεται,

scholiasta haec: περὶ τῆς προεδρίας, ὡς ξυλίνων οὐσῶν τῶν καθέδρῶν — cui alter addit: ὅτι δὲ ἐκ λίθων, πανταχόθεν δῆλον, ὅταν λέγῃ (Eq. 754. 783), ἐπὶ τῆς πέτρας κάθηνται. Altero quidem loco de tribunalibus, altero de comitiis agitur et scholiastarum alter utroque loco lignea subsellia fuisse opinatur, alter

negat. Idem apud lexicographos reperies: namque Hesychius haec praebet s. v. ξύλον: πρῶτον βάθρον τὸ ἐν τῇ προεδρείᾳ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τῷ δικαστηρίῳ. Photium vero, quum praeberet: ξύλον πρῶτον, τὸ βάραθρον, intactum reliquerunt R. Porsonus et G. Hermannus, correxit Hesychii editor auxilio Pollucis IV, 121 et VIII, 133: ξύλον πρῶτον, τὸ βάθρον. Ac Pollux quidem, de theatri partibus agens: πρῶτον δὲ ξύλον ἡ προεδρία, μάλιστα δὲ δικαστῶν, ἐφ' ὧν καὶ τὸν πρῶτον καθίζοντα πρωτόβαθρον (Hesych. πρωτόβαθρον, τῆς προεδρίας ἀξιωθέντα) Φερεκράτης (vel Ἐπικράτης, vide Mein. Com. II, 356. III, 373) εἴρηκεν ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος: et de comitio exponens: ἐκάλουν δὲ τὴν προεδρίαν καὶ πρῶτον ξύλον, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν πρώτην καθέδραν. Simul docemur has sedes storeis sive tegetibus contectas fuisse: τὰ δ' ὑποστορνύμενα τοῖς δικασταῖς ἐπὶ τῶν ἑδρῶν ψιάθια ὠνομάζετο. Quidni ψίαθος? quod verbum saepius apud Comicum in usu est, ψιάθια in superstitibus quidem fabulis nusquam.

Iam primum subselliorum ordinem, sive lapide facta sunt, sive storeis contecta sive nuda fuerunt, in theatro pariter atque in comitio et dicasterio apparet et potuisse appellari et appellatum esse τὸ πρῶτον ξύλον. Pnycis enim, quam Acharnensium versus 1. dicit, subsellia lapidea fuisse ex Equitibus Comici, vel scholiasta Ach. 25 duce, cognoscas. Ibi igitur Pnyx vocatur ἡ πέτρα v. 754. 783: quod de subselliis intelligendum est, quum populus comitia habiturus sit. Neque tamen, quum Pnycem in rupe sitam esse notum sit (nam schol. Eq. 753: πέτρας δέ, τῆς πνυκός, ὀρεινὴ γὰρ ἦν, ὡς ἔοικεν, etiam peius videtur eruditus esse, quam nostrates), isti Comici versus mihi argumento forent, nisi isiciarius ille pulvinar ferret, quo populus podicem pugna Salaminia attritum servaret ac tueretur. — De theatri sedibus res perspicua est; ἴκρια ista dudum abolita ne norant quidem Comici aequales. At de dicasteriis ambigo; quae si, ut equidem arbitror, aut omnia aut maximam partem loci fuerint aperti cancellis circumsepti, tamen forma eadem semper manserit, ut iisdem subselliis iudices uterentur. Vbi igitur natura loci id concessit, ut in rupe Pnycis, Areopagi, theatri sive potius Acro-

polis, ex lapide excisa sunt subsellia. Iam vero tribunalia in planitie aut in valle intra Pnycem, Areopagum, Acropolim aut sub radicibus Areopagi et Acropolis septem triones versus erant sita. Vnde coniiciam τὸ πρῶτον ξύλον sensu proprio dictum esse, eoque subsellia lignea significari. Neque tamen contra audeam multa dicere, modo quis subsellia lapidea fuisse, certis argumentis probare possit.

XII. Sequitur, ut τὸ βῆμα, clarus ille oratorum et in comitiis et in iudiciis locus, qualis fuerit, paucis adumbretur et exponatur. In Ecclesiazus. 678 Blepyro roganti:

τὸ δὲ βῆμα τί σοι χρήσιμον ἔσται;

Praxagora respondet:

τοὺς κρατῆρας καταθήσω,
καὶ τὰς ὑδρίας.

Quod de tribunali fori iudicialis dictum esse apparet, quum proxime antecedat versus supra laudatus: τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω. Idque scholiasta probat, quum dicit: τὸ βῆμα] ὁ λίθος ἐν τῷ δικαστηρίῳ. Similiter Zonaras s. v. λίθος τοῦ δικαστηρίου, καὶ ἡ δικαστικὴ τράπεζα: et Suidas s. v.; sed quod addit: οὐ μακρὰν δὲ τῶν πυλῶν τὸ δικαστικὸν βῆμα προσέταξε δοθῆναι (Kusterus τεθῆναι coniecit, quod praestat), id quo referam nescio. An de situ tribunalis cuiusdam prope Propylaea loquitur? Eundem lapidem Blepsidemus in Pluto 382 dicit, quum Chremylum aliquid furto abstulisse suspicetur:

ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικός —.

Etymol. M. s. v. βῆμα σημαίνει τὸ λόγιον, quod mutandum in τὸ λογεῖον. Etym. Gud. βῆμα: βάδισμα ἢ τόπος ὑψηλὸς δικαστοῦ, ubi scribas δικαστηρίου. Hesych. s. v. βῆμα πλείονα μὲν σημαίνει. κοινότερον δὲ οὕτω καὶ τὸ λογεῖον, ὥσπερ ἐν ἐκκλησίᾳ καὶ δικαστηρίῳ. ἦν δὲ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, i. e. τὸ βῆμα Areopagi, comitii, fori iudicialis est, translate etiam theatri.

Τὸ βῆμα audit κατ' ἐξοχὴν ὁ λίθος, altero loco alterum significans: Pac. v. 682 Pax dea quaerit, Mercurio interprete:

ὅστις κρατεῖ νῦν τοῦ λίθου τοῦ 'ν τῇ πυκνί;

ad quae scholiasta: ἀντὶ τοῦ βήματος, ὅστις νῦν διέπει τὰ τῆς πολιτείας καὶ (κἀκεῖ?) διαπρέπει; πύκνα δέ φησι τὸ ἐν τῇ Ἀττικῇ δικαστήριον: utrumque miscens, ut supra monere licuit. — Tum Acharn. 683 senes queruntur, quod male habiti sint ab ingrata patria:

τονθορύζοντες δὲ γήρᾳ τῷ λίθῳ προσέσταμεν,
οὐχ ὁρῶντες οὐδέν, εἰ μὴ τῆς δίκης τὴν ἠλύγην.

Schol., unde Suidas sua hausit, λίθῳ δὲ τῷ βήματι, cui Venetus addit, τῷ ἐν τῇ πνυκὶ δικαστηρίῳ, cum suo quodam iure, quippe qui senserit, permultis in rebus comitia iudiciaque et comparari inter se potuisse et omnino eadem fuisse. Verum enim vero eundem fortasse lapidem, neque tamen eum, quatenus τὸ βῆμα sit, hoc loco Comicum in mente habuisse, verbum, quod appositum est, προσέσταμεν, ostendere videtur. Idem igitur fuerit atque ille, quem Philocleo fieri se cupit Vesp. 332:

ἢ δῆτα λίθον με ποίησον, ἐφ' οὗ
τὰς χοιρίνας ἀριθμοῦσιν.

Quem proxime oratorum lapidem fuisse per se patet, quum res ad iudicia peragenda necessariae per totum tribunal sine ordine dispositae distributaeque esse non possent. Pars igitur illius lapidis τὸ βῆμα potuit esse, pars quoque suffragiorum locus, quum in iudiciis tum in comitiis, quorum λίθον Hesych. τὸ ἐν τῇ θείᾳ ἐκκλησίᾳ βῆμα explicat; sed quum causa absoluta suffragia iudices ferrent, τὸ βῆμα optime inserviebat numerandis calculis. In eodem suggesto lapideo et reum et accusatorem consedisse, testis est Dem. κατὰ Ὀλυμπιοδ. p. 1176: Ὀλυμπιόδωρος ἠγωνίζετο πρῶτος — κἀγὼ σιωπῇ ἐκαθήμην ἐπὶ τοῦ ἑτέρου βήματος, i. e. in altera parte lapidis. Inserviebat quoque, ut hoc una absolvam, iuriiurando a iudicibus et concionantibus dando. Hoc enim diserte Hesychius s. v. λιθομόται: δημήγοροι ἐπὶ τοῦ λίθου ὀμνύντες, ὁ δὲ λίθος τὸ ἐν τῇ θείᾳ ἐκκλησίᾳ βῆμα: minus diserte Harpocratio s. v. λίθος: Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος „τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῖν οὑτωσὶ καὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες". ἐοίκασι δ' Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ τοὺς ὅρκους ποιεῖ-

σθαι, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ καὶ Φιλόχορος ἐν τῷ γ' ὑποσημαίνουσιν: — atque ex eo Photius et Suidas s. v., ubi vide Kusteri annot. Reliqua etiam dicasteriorum supellex, τὸ κληρωτήριον, ἡ κλεψύδρα, alia de quibus mox dicemus, ibidem fuerit oportet. Iam qualis fuerit iste lapis, cuius nunc potentiam nunc nitorem eloquentiae hodieque admiramur et veneramur? De situ quidem Comicus ipse monet Eccles. 84: ibi Praxagora mulieribus convocatis nuntiat:

ἡκκλησία δ', εἰς ἣν παρεσκευάσμεθα
ἡμᾶς βαδίζειν, ἐξ ἕω γενήσεται.

Cui mulier:

νὴ τὸν Δί', ὥστε δεῖ σε καταλαβεῖν ἕδρας
ὑπὸ τῷ λίθῳ τῶν πρυτάνεων κατάντικρυ.

Ex quo apparet, τὸ βῆμα comitii, proscenii vel τοῦ λογείου instar, audientes prae se habuisse omnes; idque probatur Pnycis descriptione apud Leake Topogr. Athen. p. 378 sqq.

Porro hinc prytanes in lapide consedisse colligas, ut circumspicerent populum καθήμενον; priores autem sedes, τὸ πρῶτον ξύλον, proxime lapidem fuerunt, ὑπὸ τῷ λίθῳ, in ipsis lapidis radicibus, sub ipsis prytanum oculis. Quum autem et in Pnyce et in tribunali frequentissimi sint et potentissimi oratores, proverbio ludit Comicus Thesmophor. 528:

ὑπὸ λίθῳ γὰρ
παντί που χρή,
μὴ δάκῃ ῥήτωρ, ἀθρεῖν.

De quo cf. Suid. s. v. ἀλλ' ἅπαν et ὑπὸ παντί. Ath. XV, 695 d. schol. Nic. Ther. 18 p. 6 Keil. Fritzsch. Thesm. v. 1.

XIII. In lapide igitur certis suis locis etiam τὸ κληρωτήριον et οἱ καδίσκοι fuerunt (de alio τῶν καδίσκων genere v. Lobeck. Agl. p. 53). Quamquam τὰ κληρωτήρια in Ecclesiazus. 681 ab urnis iudiciariis, τοῖς καδίσκοις Vesparum 321, diversa fuisse videntur. Ibi enim de utroque concionum genere quum agatur, Blepyrus quaerit: τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; quod ad utrumque possit pertinere. Sed respondet Praxagora: εἰς τὴν ἀγορὰν καταθήσω κᾆτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας:

sequuntur aliquot nomina decuriarum ficta, in quas sortiti abeant coenatum. Non igitur dubito, quin Comicus nobis ostendat primum, dicasteria ad forum sita esse, deinde τὰ κληρωτήρια in uno dicasterio asservata esse, inque hoc dicasterio sortitionem iudicum factam esse vel fieri consuesse. Consentaneum est, opinor, sortitionis negotium eodem constanter loco perfectum esse; verum Atheniensibus, quibus omnia olerent tyrannidem, placere potuerit variis uti atque omnibus deinceps dicasteriis. Quod si veri haud absimile est, τὰ κληρωτήρια etiam atque οἱ καδίσκοι eadem vascula fuerunt. Sed non ita magni momenti est, de his rebus disceptare; quare pergam. Scholiasta atque ex eo Suidas verbo tantum verbum reddiderunt: τὰ κληρωτήρια — τὰς κληρωτὰς ἀρχάς, neque vascula, ut apparet, intelligunt, sed magistratus sortiendos; at quomodo ἡ κλήρωσις facta sit, tradidit nemo, nisi Comicus noster, qui tamen plura suspicari iubet quam demonstrat. De qua priusquam sententiam meam exponam, de urnis iudiciariis (καδίσκοις) Comicum loqui iubebo. Vesp. 320 Philocleo:

βούλομαί γε πάλαι μεθ' ὑμῶν ἐλθὼν ἐπὶ τοὺς καδίσκους κακόν τι ποιῆσαι.

et Vesp. 853 Bdelycleo:

ὡς ἄχθομαι,
ὁτιὴ 'πελαθόμην τοὺς καδίσκους ἐκφέρειν.

Ad priorem versum scholiasta: τοὺς ἐν τῷ δικαστηρίῳ κάδους, ἐν οἷς τὰς ψήφους καθίεσαν, ὑποκοριστικῶς λέγει. Cur tandem? an scholiasta cogitavit, ut saepius Comicus cogitare iubet, ad καδίσκους et κακὸν mente et cogitatione subaudiendum κακκᾶν? Pergit: ὀνομάζει δὲ ἀπὸ μέρους τὸ δικαστήριον, ὡς καὶ πρότερον κλεψύδραν αὐτὸ εἴρηκεν, ἀπὸ τοῦ κειμένου ἐν αὐτῷ ἀγγείου, πρὸς ὃ οἱ ῥήτορες ἔλεγον. Paullo aliter idem: τοὺς κάδους, ὅπου αἱ ψῆφοι. καδίσκους εἶπεν ὑποκοριστικῶς τὰς κάλπεις, ἔνθα τὰς ψήφους καθίεσαν δικάζοντες. ἐκ τούτου δὲ δηλοῖ τὴν ἐπὶ τὸ δικαστήριον ἄφιξιν. Harpocratio s. v.: Ἰσαῖος ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἁγνίου κλήρου (§. 21) ἀγγεῖόν τι, εἰς ὃ ἐψηφοφόρουν οἱ δικασταί, οὕτως ἔλεγον. Φρύνιχος Μούσαις

ἰδού, δέχου τὴν ψῆφον· ὁ καδίσκος δέ σοι
ὁ μὲν ἀπολύων οὗτος, ὁ δ' ἀπολλὺς ὁδί.

(Mein. Com. II, 593 hos versus fortasse ad musicum Sophoclis et Euripidis certamen spectare dicit.) Eadem fere Photius, qui praeterea glossam de eadem re praebet, et Suidas, nisi quod uterque ἔλεγον pro ἐκαλεῖτο. Priora verba usque ad οἱ δικασταί Zonaras s. v. Thom. Mag. s. v. κάδος: καδδίσκος δὲ ἀγγεῖόν τι, ἐν ᾧ τὰς ψήφους ἔβαλλον (de scriptura κάδδος et καδδίσκος v. Ritschl. ad h. l.). Hesychius eadem s. v., ubi vide notam Alberti, nisi quod ἔφερον pro ἔβαλλον habet. Pollux denique VIII, 17, quo loco τὰ δικαστικὰ σκεύη enumerat: καδίσκος μὲν οὖν ἐστι τὸ ἀγγεῖον, ᾧ τὰς ψήφους ἐγκαθίεσαν. — Debebant utique περὶ καδίσκων explicare; plures enim urnas, videlicet duas fuisse, et versus Vesp. 321 et 853 sqq. et Phrynichus apud lexicographos et maxime Lysias κατὰ Ἀγορ. p. 467 ostendit et diserte schol. Vesp. v. 987 docet: δύο γὰρ ἀμφορεῖς εἰσιν, ὧν ὁ μὲν κύριος λεγόμενος χαλκοῦς, εἰς ὃν τὴν κυρίαν ψῆφον καθίεσαν οἱ δικασταὶ ἢ καταδικάζοντες ἢ ἀπολύοντες, ὁ δὲ ἕτερος ξύλινος, εἰς ὃν τὰς ἀκύρους καθίεσαν. ὁπότε δὲ πάντες διεψηφίσαντο, εἰς τὸν χαλκοῦν κάδον διηριθμοῦντο αἱ ψῆφοι. καὶ κατεδίκαζον μὲν αἱ τετρυπημέναι, ἀπέλυον δὲ αἱ πλήρεις. δεῖται οὖν αὐτοῦ, ἵνα τὴν τετρυπημένην εἰς τὸν ὕστερον τὸν ἄκυρον καταθῇ καὶ ἀπολύσῃ τὸν ἀπολογούμενον. φαίνονται δὲ συνήθως καλοῦντες τὸν κύριον ἀμφορέα πρότερον, τὸν δ' ἕτερον ἄκυρον ὕστερον. ἄλλως. εἰς τὸν ὕστερον δὲ καδίσκον τὴν ἀποδοκιμάζουσαν ἐνέβαλον ψῆφον. Integram exscripsi annotationem, licet eius posteriori parte utar, ubi de calculis et de suffragiorum modo ac ratione disputabitur. Hic quidem sufficit comperisse, duas fuisse urnas, alteram aeneam, alteram ligneam, aeneam quidem κυρίαν vocatam, ligneam ἄκυρον, aeneam quoque προτέραν, ligneam ὑστέραν. Eadem testatur schol. Equit. 1150. In Phrynichi versibus ὁ ἀπολύων num ὁ κύριος, contra ὁ ἀπολλὺς fuerit ὁ ἄκυρος, dubito. Schoemannus Op. acad. I, 264 istam suffragii ferendi formam aliam fuisse dicit, quum unus tantum calculus commemoretur. Equidem Phrynichi versus Aristophaneis simillimos duco, modumque suffragii ferendi simillimum. De quo infra. Relinquitur, ut de loco

urnarum dicam. Duobus autem locis urnae positae esse possunt; aut diversis aut eodem; si diversis, ὁ κύριος iuxta tribunal steterit, ἐπὶ τοῦ βήματος, ὁ ἄκυρος aut ad introitum dicasterii aut pone tribunal, ut iudices calculo, quem voluissent, in priorem urnam iniecto, τὸ βῆμα circumeuntes, in posteriorem urnam calculum, quem ἄκυρον esse vellent, iniicerent. Equidem utramque urnam proximum rostra vel in ipso lapide diversis locis stetisse putarim, τὸν κύριον propius iudices, fortasse inter hos atqu reliquas iudicii personas, oratores, testes, reos quique huc pertineant, τὸν ἄκυρον autem aliquo spatio intermisso vel pone rostra, eo fortasse consilio, ne quis posset binos calculos vel decipiendi vel iocandi caussa immittere, ut causa peracta iudices, e dicasterio exeuntes, τὴν ἄκυρον ψῆφον in alteram hanc urnam immitterent. Ceterum in plerisque cum L. Rossio Iahrb. f. Phil. Suppl. I p. 350 sqq. me consentire nunc demum, ubi caput hoc iterum prelo subiicitur, video.

XIV. Immittebant autem iudices calculos per κημόν, Vesp. 99 memoratum ibique potissimum adhibitum, ut sonorum lusu bellus ille Demus, multorum desiderium et deliciae, et sensus similitudine perstringeretur. Et schol. ad h. l.: κημὸς καλεῖται τὸ τοῖς καδίσκοις ἐπιτιθέμενον, δι' οὗ τὰς ψήφους καθίεσαν, ἵνα μὴ ὀλισθάνωσιν. ἔστι δὲ πλέγμα τι δικτυῶδες καὶ ἠθμῶδες (i. e. non multis foraminibus perforatum, sed perforatum tantum) ἄνωθεν πλατύ, κάτωθεν στενόν. Rav. tantum: κημός ἐστι πλέγμα τι, δι' οὗ τὴν δικαστικὴν ψῆφον καθίεσαν. Quem, qualis fuerit, facile quivis intelliget, qui nostratium vascula conspexerit, quibus ad nummos colligendos vel in ecclesia vel alibi utimur. Plurali numero utitur Comicus v. 754: κἀπισταίην ἐπὶ τοῖς κημοῖς ψηφιζομένων ὁ τελευταῖος, ibique pro τοῖς καδίσκοις utitur, iterum significans duas fuisse urnas; item v. 1339: βάλλε κημούς, ubi schol. bene: βάλλε ἐς κόρακας τὰ δικαστικὰ σκεύη. Sed quum senex puellam secum trahat, iterum ludit poeta πρὸς τὸ κακέμφατον. Multa, sed novi non multum affert scholiasta Equit. v. 1150. Ibi Demus facetissime cogere se dicit fures publicos, ut id quod furati essent evomerent, camum iis in guttur immittentem. Ibi

igitur κημός, camus sive phimus, propter calculos dictus, quod collo furum, qui omnia devorant, simillimus est, quippe qui omnes excipiat calculos tam iustos quam iniustos. Scholiasta autem: Κρατῖνος δὲ αὐτὸν ἐν Νόμοις (Mein. Com. II, 92, qui II, 271 post Dobraeum scripsit ἠθμός) σχοίνινον ἠθμὸν καλεῖ. τοιοῦτο γὰρ ἐγένετο καὶ ἦν παρόμοιος χώνῃ, ὡς καὶ Σοφοκλῆς Ἰνάχῳ (v. Nauck trag. fr. p. 151. Ath. XI, 480 b.). Σχοίνινον ἠθμὸν explicat Hesychius: δι' οὗ τὰς ψήφους οἱ δικασταὶ εἰς τὰς ὑδρίας καθιᾶσιν; quem cfr. s. v. κημός cum notis Alberti, qui, quum bis vocem ὑδρίας usurpaverit, magnum fuisse vasculum τὸν καδίσκον significat: cfr. Vesp. 921. Av. 602. Eccles. 678. 738. Lys. 327. Steph. s. v. ἠθμός. Inde fieri potuit, ut ἠθμός etiam pro κημός usurparetur. De cuius tamen forma nondum mihi constat, neque possum quae modo supra dixi reiicere, quum Aristoteles apud eundem scholiastam testis mihi adsit: ἔχει δὲ καὶ ὁ χαλκοῦς, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης, διερρινημένον ἐπίθημα εἰς τὸ αὐτὴν μόνην τὴν ψῆφον καθίεσθαι, quibus significat, urnam aeneam operculo usam esse ita perforato, ut uni semper calculo pateret, neque posset plures simul excipere in urnam immittendos. Cfr. Photium et Suidam s. v. κημός: πλέγμα κωνοειδές; i. e. operculum vimineum instar coni. Fortasse, si opinionem nullis testimoniis diserte defensam proponere licet, urnarum altera, ἡ κυρία opinor, ita constituta erat, ut singulos tantum exciperet calculos, praeco autem sive thesmotheta prope adstans videret, ne quis bis suffragium ferret: altera contra ἡ ἄκυρος, quae calculos excipiebat reliquos, camo, sive operculo pluries perforato, infundibuli ad formam, erat instructa. Nam, quum in qualibet causa fieri posset, ut hic ille suffragio se abstineret ferendo, duos calculos in alteram hanc urnam inmittere et iussus et ut puto coactus erat.

XV. Quum de urnis agatur, de *echino* statim subiiciam quae comperi. Apud Comicum Vesp. 1436 ollam significat, Pac. 1086. 1114 animal spinis horrens; sed schol. Vesp.: τὸν ἐχῖνον explicat ἄγγος τι χαλκοῦν ἢ καὶ ἐκ κεράμου, εἰς ὃ καθιᾶσιν οἱ διαιτηταὶ τὰ γραμματεῖα τῶν μαρτυριῶν, ἅ τινες ἐμαρτύ-

ρησαν, καὶ κατασημηνάμενοι μετὰ ταῦτα, εἰ ἐγκληθείη ἡ δίαιτα, τοῖς δικασταῖς ἐπεδίδουν. Eadem praeter Lex. rhet. 258, 3 Suidas, apud quem Hemsterhusius correxit ἐκκληθείη, i. e. si ab arbitro provocetur ad iudicem. Recte, quamquam omnia testimonia echino servata esse Demosthenes, quem statim consulemus, docet. Etymol. M. εὗρον δὲ σημαίνειν τὴν λέξιν εἰς τὸ ῥητορικὸν καὶ ἄλλο, ἤγουν καδίσκους, ἀγγεῖά τινα, τὰ μὲν ἐκ χαλκοῦ, τὰ δὲ ἐκ κεράμου, εἰς ἃ αἵ τε μαρτυρίαι καὶ αἱ προκλήσεις ἔγγραφοι ἐνεβάλλοντο ὑπὸ τῶν δικαζομένων (num igitur διαιτητῶν scribamus?) καὶ κατεσημαίνοντο, ἵνα μηδεὶς κακουργήσῃ τὰ ἐμβαλλόμενα. Vid. praeter Zonaram, Erotianum, Harpocrationem s. v. ἐχῖνος inprimis Photium, huius rei testem locupletissimum. Demosthenes saepius hunc ἐχῖνον, capsam forensem ex Budaei versione, commemorat, ut κατὰ Στεφάνου α′ p. 1119: τὴν γὰρ μαρτυρίαν, ἣν ᾤμην εἶναι καὶ δι' ἧς ἦν ὁ πλεῖστος ἔλεγχός μοι, ταύτην οὐχ εὗρον ἐνοῦσαν ἐν τῷ ἐχίνῳ. Eumque a diaeteta asservatum esse, idem eodem loco testatur: τότε μὲν — ὑπελάμβανον τὴν ἀρχὴν ἠδικηκέναι καὶ τὸν ἐχῖνον κεκινηκέναι. νῦν δὲ ἀφ' ὧν ὕστερον πέπυσμαι, πρὸς αὐτῷ τῷ διαιτητῇ Στέφανον τουτονὶ αὐτὴν ὑφῃρημένον εὑρίσκω. Diaetetae illi nomen est Tisiae; alius nominatur κατὰ Ὀλυμπιοδ. p. 1180, Androclides, παρ' ᾧ κεῖνται αἱ συνθῆκαι ὡς Ἀνδρ. — καὶ κοινῇ ἐκγραψαμένους ἡμᾶς τὰς συνθήκας πάλιν σημήνασθαι, τὰ δ' ἀντίγραφα ἐμβαλέσθαι εἰς τὸν ἐχῖνον, ὅπως μηδεμία ἂν ὑποψία ᾖ. Etiam iuris iurandi documentum in echino deponebatur. Dem. πρὸς Τιμόθεον p. 1203: ἐμβαλομένου γάρ μου ὅρκον εἰς τὸν ἐχῖνον, ἠξίου οὗτος καὶ αὐτὸς ὀμόσας ἀπηλλάχθαι: πρὸς Βοιωτὸν p. 999 memorantur οἱ σεσημασμένοι ἐχῖνοι. Cf. Dem. κατὰ Εὐεργ. p. 1143. Fuit igitur, ut cum Stephano loquar, ἐχῖνος vasculum nunc aereum, nunc opere figulino, in quod testium dicta, acta litis, omniaque a partibus prolata coniiciebantur, apudque sequestrem deponebantur, donec palam in iudicium proferrentur ad sententiam ferendam.

Iam, qui hunc echinum custodiebat, διαιτητὴς vocatur, qui num idem fuerit atque arbiter vel publicus vel privatus (v. praeter Harpocrat. s. v. nostros antiquitatum scriptores) dubitare licet.

Quos quum Harpocratio ceterique munere tabellariorum functos esse silentio praetermiserint, hos echinorum custodes diaetetarum quidem nomen neque tamen aliud quid cum arbitris commune habuisse dixerim. Vtut haec se habent, echinos in iudiciis praesto fuisse inque tribunali collocata, per se consentaneum est.

XVI. Satis de urnis; de *clepsydra* res minus perspicua est. Cuius Comicus pluribus locis meminit ut rei perquam necessariae, ut Vesp. 856:

πάντα δὴ πάρεστι νῷν
ὅσων δεόμεθα, πλήν γε δὴ τῆς κλεψύδρας,

et v. 93:

ὁ νοῦς πέτεται τὴν νύκτα περὶ τὴν κλεψύδραν,

et Acharn. 694:

ταῦτα πῶς εἰκότα, γέροντ' ἀπολέσαι πολιὸν ἄνδρα περὶ κλεψύδραν;

Cfr. Eubuli versus ap. Mein. Com. III, 241. Ad Vesp. 93 scholiasta: περὶ τὴν κλεψύδραν ἀντὶ τοῦ περὶ τὸ δικαστήριον. κλεψύδρα γὰρ ἀγγεῖον τετρημένον, ἐν ᾧ ὕδωρ ἔβαλλον καὶ εἴων ῥεῖν ἄχρι τινὸς ὀπῆς καὶ οὕτως ἔπαυον τὸν ῥήτορα. τοῦτο δὲ ἐποίουν διὰ τὸ φλυαρεῖν τὸν λέγοντα καὶ ἐμποδίζειν ἄλλοις θέλουσι λέγειν, ἵνα τὰ σπουδαῖα λέξας ἐξέλθῃ. Puto scribendum esse διὰ τὸ μὴ φλ. τ. λ. μηδὲ ἐμπ.; tum Venetus habet λέγων, quod melius est quam λέξας, nisi malis λέξων scribere. Neque tamen sic scholium sanum est. Ad clepsydram loquebantur oratores, ne hariolarentur aut nugarentur neve ceteris iustum loquendi tempus deminueretur. Non tamen ad clepsydram loqui iussi erant, quod hariolari et nugari consuerant. Quare melius foret, si scholiasta explicaret fere ita: ἵν' ὁ τὰ σπουδαῖα, i. e. ἀναγκαῖα, λέξων παρέλθῃ. Oratores sexcenties vocantur οἱ παριόντες. Sufficit monere, tum etiam concinnius scribi potuisse ἕνεκα τοῦ μὴ φλυαρεῖν pro διὰ τὸ μὴ φλ. — In priori autem scholii parte displicet ἄχρι τινὸς ὀπῆς, quod vix intelligo. Cogito enim clepsydram urnam sive vasculum fuisse in infima parte perexiguo foramine perforatum, per quod aqua infusa emanaret; aquam autem aut libere in terram stillasse, quod minus conveniens apparet esse, aut ab altero vasculo inferiore exceptam, quum tota emanasset, in superius

vasculum, τὴν κλεψύδραν, denuo infusam esse. Quod si recte coniecero, necesse erit διὰ τῆς ὀπῆς reponere. Lexicographi pauca suppeditant: Etym. enim Magn. et Gud. s. v. κλεψύδρα tantum: ὄργανον ἀστρονομικόν, ἐν ᾧ μετροῦνται αἱ ὧραι: item Hesychius, Photius, Suidas, Zonaras, qui quidem praebent: ὄργ. ἀστρολογικόν. — Scholiasta autem ad Ach. 694 haec: ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἡ γὰρ κλεψύδρα ἀγγεῖόν ἐστιν ἔχον μικροτάτην ὀπὴν περὶ τὸν πυθμένα, ὅπερ ἐν τῷ δικαστηρίῳ μεστὸν ὕδατος ἐτίθετο, πρὸς ὃ ἔλεγον οἱ ῥήτορες, quibus mea, quam supra proposui, descriptio satis defendi posse videtur. Probe enim tenendum est, scholiastam atque ex eo Suidam de uno foramine loqui. Superius autem scholium ad Vesp. 93, si verba ἄχρι τινὸς ὀπῆς probabimus, necesse erit ita intelligi, ut vasculum pluribus foraminibus directo ordine factis usum sit, quae quidem, quum aqua immissa est, omnia simul aquam emittere existimanda sunt atque ita, ut summum foramen, quod rei natura fert, primum desierit emittere, reliqua deinceps subsequuta sint. Itaque orator potuerit ad primum, ad secundum, ad quotumcunque τρύπημα usque loqui, quantum cuique temporis concessum fuerit. Potuerint rursus transversi ordines τρυπημάτων sive ὀπῶν esse, ut ex permultis his aqua profluxerit: tum illud ἄχρι τινὸς ὀπῆς significaret: usque ad certum ordinem sive seriem foraminum.

De multis autem foraminibus cogitare etiam Aristoteles nos iubet, qui in Problematum sexto decimo libro c. 8 p. 914 clepsydram descripsit, longe diversam illam a scholiastarum sententia, uniceque veram a Beckero Charicl. II, 494 habitam. Ibi igitur docemur tres clepsydrae partes: primam, quae vocatur ὁ αὐλός, fistula, per quam influit aqua, alteram, τὴν κωδίαν, alvum clepsydrae, capiti papaveris similem (Suidas s. v. κωδία, Hesychius, Etymol. M. Gud. Harpocr. Photius praebet κωδόα) nomenque inde ducentem: tertiam, quae τὰ τρυπήματα sive ὁ ἠθμὸς colum (Suid. ἠθμὸς ὁ διυλιστήρ, et Etym.) vocatur. Schol. Apoll. Rh. I, 1294 p. 382, 11 ex Herodiano ἐν τῷ εἰκοστῷ: τὸ δὲ ἠθμός δασύνεται καίτοι τὸ η ἔχον πρὸ τοῦ θ τῇ ἐννοίᾳ τοῦ ἧσω μέλλοντος δασυνομένου. Cf. Boeckh. C. I. I p. 19, Casaub. ad Ath.

p. 758 sq. Lobeck. Paralip. p. 427 ann. Memorantur praeterea τὸ στόμα, os fistulae, et τὸ πῶμα et πωμάζειν obturare. De reliquis perspicua res est, de foraminibus ambigo, utrum ad infimam partem alvi fuisse dicam, ut aqua primo transverse profluens, circuitu quodam terram peteret, an solium perforatum fuisse censeam simileque fuisse ei, quod nos dicimus „Durchschlag" (Becker l. l. p. 495). Prius tuetur Aristoteles ipse, quum dicit: πλαγίας μὲν οὖν βαφείσης τῆς κλεψύδρας, διὰ τῶν ἐναντίων τοῖς ἐν τῷ ὕδατι τρυπημάτων ἐπ' εὐθείας μένων (ὁ ἀὴρ) ὑπὸ τοῦ ὕδατος ἐξέρχεται, ὑποχωροῦντος δὲ αὐτοῦ τὸ ὕδωρ εἰσέρχεται: cui statim addit: ὀρθῆς δὲ εἰς τὸ ὕδωρ βαφείσης τῆς κλεψύδρας, οὐ δυνάμενος πρὸς ὀρθὴν ὑποχωρεῖν διὰ τὸ πεφράχθαι τὰ ἄνω, μένει περὶ τὰ πρῶτα τρυπήματα. Ista τὰ ἐναντία et τὰ πρῶτα τρυπήματα non possunt, opinor, intelligi, nisi de ordinibus in parte infima factis cogites. Fieri potest, ut singuli ordines singula temporis spatia, e. g. horas significarint; fieri etiam potest, ut una alvus toti diei suffecerit. Sed hae sunt, ut rei natura fert, merae opiniones, omnique fundamento carentes. Neque enim scimus, quomodo signa singularum horarum potuerint fieri, neque intelligo, qui fieri potuerit, ut singulae horae recte atque aequis semper spatiis dirimerentur, si ex omnibus foraminibus simul profluxerit aqua. Itaque Aristotelem crediderim aliud idque magis artificiosum genus clepsydrarum in mente habuisse, quum vim atque effectum aëris monstraret, quam quo usi fuerint oratores Attici. De magnis clepsydris loquitur Aristocles ap. Athen. IV p. 174 c, a Beckero quoque laudatus.

Alia suppeditant Harpocratio et Suidas s. v. διαμεμετρημένη ἡμέρα: μέτρον τί ἐστιν ὕδατος πρὸς μεμετρημένον ἡμέρας διάστημα ῥέον. ἐμετρεῖτο δὲ τῷ Ποσειδεῶνι μηνί. ὡς δὴ τούτῳ (Harpocr., quod Kusterus iure probat, πρὸς δὴ τοῦτο scil. τὸ ὕδωρ) ἠγωνίζοντο οἱ μέγιστοι καὶ περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνες (Bernh. male: quod tunc iudicia de causis maximi momenti haberentur: potius cogitandum est de musicis certaminibus). διενέμετο δὲ τρία μέρη τὸ ὕδωρ, τὸ μὲν τῷ διώκοντι, τὸ δὲ τῷ φεύγοντι, τὸ δὲ τρίτον τοῖς δικάζουσιν. Itaque τὸ ὕδωρ certum hoc tempus significat. Dem.

περὶ τ. στεφ. p. 274: δειξάτω ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι, id. κατὰ Ἀφόβ. p. 817: οὐκ ἐνδέχεται πρὸς τὸ αὐτὸ ὕδωρ εἰπεῖν. cf. πρὸς Ἄφοβ. p. 847. πρὸς Μακάρτατ. p. 1052. πρὸς Λεωχάρ. p. 1094. κατὰ Στεφ. p. 1116. Quae proxime sequuntur, unus Harpocratio habet: ταῦτα δὲ σαφέστατα αὐτοὶ οἱ ῥήτορες δεδηλώκασιν, ὥσπερ καὶ Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος, Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ διδάσκει περὶ τούτων. Hinc uterque: ἐπισκεπτέον δὲ τῷ παρ' Ἰσαίῳ (Harp. Bekkeri: σκεπτέον δὲ τὸ π. Ἰ. quod praestat) (ἐν τῷ κατ' Ἐλπαγόρου καὶ Δημοφάνους add. Harp.) ὅς (πῶς Harp. B.) μεμετρημένης τῆς ἡμέρας ὅτε μὲν χωρὶς ὕδατός φησι γίνεσθαι τοὺς ἀγῶνας, ὅτε δὲ πρὸς ὕδωρ. Bene Kusterus locum explicat, comparato Demosthene περὶ παραπρ. p. 378: ὃς (Aeschines) γὰρ ἀγῶνας καινοὺς ὥσπερ δράματα, καὶ τούτους ἀμαρτύρους, πρὸς διαμεμετρημένην τὴν ἡμέραν (i. e. πρὸς τὴν κλεψύδραν) αἱρεῖς διώκων, δῆλον ὅτι πάνδεινος εἶ τις: et πρὸς Νικόστρ. p. 1252: ἡμέραις οὐ πολλαῖς ὕστερον εἰσελθὼν εἰς τὸ δικαστήριον πρὸς ἡμέραν διαμεμετρημένην — εἷλον, i. e. spatium temporis accusanti mihi concessum sufficiebat. Verumtamen tres tantum temporis partes uni causae concessas fuisse non crediderim. Bis potuisse vel ter quoque reum loqui, Apologia Socratis docet; bis quoque accusatorem, vel ea, quae statim sequuntur in eadem oratione p. 1252: καὶ ἐν τιμήσει βουλομένων τῶν δικαστῶν θανάτου τιμῆσαι αὐτῷ, ἐδεήθην ἐγὼ τῶν δικαστῶν μηδὲν δι' ἐμοῦ τοιοῦτον πρᾶξαι κτλ. Cum scholio autem Ach. 694 concinunt Demosthenis verba ex oratione κατὰ Στεφάν. priori, item a Kustero laudata, p. 1127: πολλὰ δ' ἔχων εἰπεῖν περὶ ὧν ὕβρισμαι, οὐχ ἱκανὸν ὂν τὸ ὕδωρ ὁρῶ μοι. Hinc quoque mihi videtur sequi, ut clepsydra unam tantum continuerit aquae mensuram, qua effusa et orator perorandi finem facere cogeretur et nova infunderetur aqua. Neque repugnant Demosthenis κατὰ Μειδ. verba p. 557: εἰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἡμῶν ὕδωρ ὑπάρξειε — οὐκ ἂν ἐπαρκέσειεν: luculenter contra demonstrant verba πρὸς Μακάρτ. p. 1052: ἐξ ἀνάγκης ἦν τῷ ἄρχοντι ἀμφορέα ἑκάστῳ ἐγχέαι τῶν ἀμφισβητούντων, καὶ τρεῖς χόας τῷ ὑστέρῳ λόγῳ. Huic enim aquae infundendae officio praeerat, qui ὁ ἐφ' ὕδωρ dicebatur. De quo

Pollux VIII, 113: ἦν μέντοι καὶ κρηνοφυλάκων ἀρχή, δηλούσης τὸ ἔργον αὐτῆς τῆς ἐπικλήσεως. καὶ λέων δέ τις ἐκαλεῖτο κρηνοφύλαξ, χαλκοῦ πεποιημένος ἐπὶ κρήνης τινός, δι' οὗ τὸ ὕδωρ ἐφέρετο ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις (delendum puto ἐν)· ἐπιμελητὴς δέ τις κληρωτὸς ἐγίνετο, ὃς καὶ ἐκαλεῖτο ἐφ' ὕδωρ (leg. ὁ ἐφ' ὕδωρ), ὁ παραφυλάττων τὴν ἰσότητα τῆς κλεψύδρας. Suid. s. ἐφ' ὕδωρ: ἐν ταῖς πρὸς ὕδωρ δίκαις ἐλάγχανεν ὁ ἐπιμελησόμενος τούτου: et s. εἶτ' ἐφ' ὕδωρ κακός: ἐπὶ τῶν δυσκληρούντων ἡ παροιμία εἴρηται. ἐν γὰρ τοῖς δικαστηρίοις τὸ φαυλότατον ἔργον ἦν ὕδωρ διαμετρεῖν τοῖς δικαζομένοις. ἐγένετο δὲ τοιοῦτος ὁ ἀπόκληρος, i. e. pauperrimus quisque omnisque hereditatis exsors: et s. ἐφετόν: εἶδον ἐγὼ δικαστὴν ἐφετὸν μετροῦντα τοῖς ἀγορεύουσι τὸν χρόνον: ubi vide Kusteri et Bernhardyi notas. Huic dictum, quod est Dem. κατὰ Στεφ. α' p. 1104: σὺ δ' ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ, scil. dum testimonia recitantur. Iudicem aquae inspectorem et mensorem fuisse nego: at potuit iudex esse, quum civis esset: nisi igitur velis δικαστὴν dictum esse pro πολίτην, profecto non intelliges Synesii verba. Ἐφετὸν autem manifesto falsum est; neque tamen in ἐφέτην, ita enim Bernhardyus voluit, mutandum, quod verbum fere plurali numero utitur; fortasse ἔφετον, i. e. iussum scil. sortitione, scribendum aut prorsus eiiciendum. Videtur autem nomen viri etiam ἔφυδρος fuisse. Photius enim, qui praebet: ἐφ' ὕδωρ, ἐπιμελητὴς κλεψυδρῶν ἐν δίκαις: tum glossam, quam Suidas usurpavit, tertium habet: ἔφυδρος, ὕδωρ ἐπάγων. Tandem Hesychius: ἐφ' ὕδωρ (Albertus in annotatione ἐφύδωρ scribi iubet) λαχεῖν. λαγχάνει τις ὕδωρ παρατηρήσων τὸ ἐν ταῖς δίκαις. Cfr. s. v. κρηνοφύλαξ cum notis et Photium s. v. κρηνοφύλαξ. Locum denique clepsydrae proximum tribunal fuisse vel Demosthenis verba supra laudata: οὐχ ἱκανὸν ὂν τὸ ὕδωρ ὁρῶ μοι probant. (Προχοΐδιον apud Poll. X, 61 aut ad clepsydram pertinet, ut sit infundibulum aut aqualiculus, aut clepsydra est (Steph. s. v.); neque ἠλίσκον l. l. huc pertinere arbitror, sed ἠλίσκος ἐπικρούειν τὴν κλεψύδραν Comici verba videntur esse. Denique pro καὶ δίσκοι καδίσκοι legendum.

Reliqua οὐ — ἐχῖνοι sensu carent; cfr. Poll. X, 71. Mein. Com. II p. 127. 771.)

XVII. Restat, ut de *Lyci heroo* nonnulla proferam. In Vespis igitur Philocleo, quum, quae ad fugam parandam meditatus erat, irrita ceciderint omnia, Lycum heroem precatur his:

v. 389: ὦ Λύκε δέσποτα, γείτων ἥρως· σὺ γὰρ οἷσπερ ἐγὼ κεχάρησαι,

v. 393: ἐλέησον καὶ σῶσον νυνὶ τὸν σαυτοῦ πλησιόχωρον.

et v. 819 Philocl.: ἓν ἔτι ποθῶ, τὰ δ' ἄλλ' ἀρέσκει μοι.

Bdel. τὸ τί;

Philocl. ἡρῷον εἴ πως ἐκκομίσαις τὸ τοῦ Λύκου.

Ad priores versus scholiasta: παρὰ τοῖς δικαστηρίοις Λύκος ἥρως ἵδρυτο (Etym. M. s. v. δεκάσαι: πρὸς δὲ τοῖς ἐν Ἀθήναις ἀνεστήλωται δικαστηρίοις), ἔθυον δὲ αὐτῷ καὶ ἀπένεμον δικαστικὸν μισθόν. et Venetus: παρὰ τοῖς δικαστηρίοις τὸ τοῦ Λύκου ἡρῷον, ὅθεν φασὶν εἰρῆσθαι Λύκου δεκάς. ἄλλως. Λύκου ἡρῷον πρὸς τῷ δικαστηρίῳ (ita saepius numero singulari utuntur scholiastae pro plurali) ἦν, ᾧ ἐμέριζον, ὅτε δικαστήρια ἦν, τὸν παρὰ τοῖς λαχοῦσι τῶν Ἀθηναίων δικάζειν δικαστικὸν μισθὸν τριώβολον. Tale igitur ἡρῷον proxime dicasteria exstructum fuit, ad ipsum introitum; Lyco autem heroi (v. Pollux IX, 83) mercedis iudicialis partem aliquantillam sacrificabant iudices. Quod quando factum sit, ignoramus, quum iudices post peractum demum munus mercedem a colacretis acciperent, exeuntibus autem ad ipsum exitum fori nummos numeratos esse veri non sit simile (v. Vesp. 785 sqq.). Sed de his rebus infra. Iam quum merces iudicum triobolus fuerit Vesparum tempore, illud autem quod in proverbium abiit, Λύκου δεκάς, decimam trioboli partem heroi a iudicibus sacratam esse ostendat, consentaneum est, decem iudices inter se composuisse, ut singuli singulis iudiciorum diebus triobolum traderent, idque certo ordine post expletum decem dierum numerum denuo inciperetur. Ex talibus igitur societatibus id potuerit consequi, quod in proverbio est. Harpocr. enim s. v. δεκάζειν: Ἰσοκράτης περὶ τῆς εἰρήνης (§. 50). ὅτι ποτὲ τοῦτ' ἐστὶ δῆλον ἅπασιν. Ἐρατοσθένης δὲ ἐν τοῖς περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳ-

δίας, πόθεν τὸ πρᾶγμα εἴρηται, δηλοῖ οὕτω λέγων· Λύκος ἐστὶν ἥρως πρὸς τοῖς ἐν Ἀθήναις δικαστηρίοις, τοῦ θηρίου μορφὴν ἔχων (tantum Hesychius s. v. Λύκου δεκάς), πρὸς ὃν οἱ δωροδοκοῦντες κατὰ ι' γιγνόμενοι ἀνεστρέφοντο, ὅθεν εἴρηται Λύκου δεκάς. Eadem fere Etymol. Magn. s. δεκάσαι. Photius s. v. praebet συνεστρέφοντο, quod magis placet, quum deni fuerint, qui una triobolum decumanum afferrent, deni quoque, qui una largitionibus studerent. Quare Photius idem et Suidas: παροιμιῶδες, ἐπεὶ Λύκος ὁ ἥρως ἵδρυτο παρὰ τοῖς δικαστηρίοις, ἔνθα προσήδρευον οἱ συκοφάνται. Hic οἱ συκοφαντοῦντες et συκοφάνται iidem sunt atque οἱ δωροδοκοῦντες. Quod vero addit Photius: ἀφώριστο δὲ αὐτῷ τριώβολον τῆς ἡμέρας, id manifestum est; significat, quod supra proposui. Lyco heroi per singulos dies iudiciorum singulos triobolos sacrare solebant*). Pluribus etiam Etymol. Magnum s. v. δεκάσαι: τὸ διαφθείρειν τοὺς δικάζοντας καὶ τοὺς ἐκκλησιαστὰς χρήμασι καὶ δώροις (Zonaras tantum δεκάζειν τὸ διαφθείρειν χρήμασιν). ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τοῦ κατὰ δέκα ἀθροιζομένους λαμβάνειν τὰ δῶρα. πρῶτον δέ φησι (l. φασι) δεκάσαι Μέλητα (leg. Μέλητον, quum apud Harpocrationem legatur: Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ Ἄνυτόν φησι καταδεῖξαι τὸ δεκάζειν τὰ δικαστήρια). His igitur testimoniis illud perspicuum fit, Lycum heroem omnium tribunalium fuisse patronum, eiusque simulacrum (Etymol. ἀνεστήλωται) prope unum quodque dicasterium conditum fuisse. Vnde consentaneum est, aut omnia ab heroe patrono nomen ducere potuisse, aut nullum. Equidem, ut nunc rem perspicio, Pollucem crediderim sibi finxisse dicasterium τὸ ἐπὶ Λύκου; nam quae sequuntur, aliunde notissima sunt atque eiusdem originis: nam quod habet: πάλαι δ' ἐκεῖ συνῄεσαν οἱ συνδεκάζοντες (quod Meursio debemus pro συνδικάζοντες) τὰ δικαστήρια: non recte videtur a Polluce intellectum esse. Reponam τῶν δικαστηρίων. Οἱ συνδεκάζοντες

*) Bernhardyus ad Suidam s. v. Λ. δεκ. Meieri de bonis damn. 114 probat sententiam, αὐτοῖς i. e. δικασταῖς scribi iubentis. Longe aliter Fritzschius rem tractavit, cuius ego licet sagacitatem atque ingenium probem, argumenta probare non possum (vid. eius Diss. de sortitione iudicum pag. 34 sqq.).

autem sunt οἱ δωροδοκοῦντες κατὰ ι' γιγνόμενοι. Harpocrationem συνδεκάζειν verbo ut δωροδοκεῖν sensu intransitivo formaque activa usum esse credo, quamquam Suidas s. v. δεκάζεσθαι diserte discernit: δεκάζεσθαι δωροδοκεῖσθαι (quod Graeculorum est), δεκάζειν διαφθείρειν χρήμασιν ἢ δώροις. Plus enim valet Isocrates l. l. ἥν τις ἁλῷ δεκάζων, et diserte Etymologus l. l. δεκάσαι in partem utramque explicat, ut et διαφθείρειν δώροις sit et λαμβάνειν τὰ δῶρα. — Hoc igitur Pollucis tribunal τὸ ἐπὶ Λύκῳ quam nihil sit, Comicus docet, cuius φιληλιαστὴς dicasterium iustum ac legitimum nisi adstante Lyco heroe cogitare non potest. Quare hunc etiam vicinum suum appellat Philocleo, cuius mens semper circa dicasteria volitat. Immo scena ita comparata videtur esse, ut proximum Philocleonis aedes et cancelli cernerentur et Lyci heroum; quare vicinum alloquitur v. 391:

> ᾤκησας γοῦν ἐπίτηδες ἰὼν ἐνταῦθ', ἵνα τοῦτ' ἀκροῷο,
> κἀβουλήθης μόνος ἡρώων παρὰ τὸν κλάοντα καθῆσθαι,

nimirum quod κεχάρησαι

> τοῖς δακρύοισιν τῶν φευγόντων ἀεὶ καὶ τοῖς ὀλοφυρμοῖς.

Verbis ludit senex, qui, quum ipse et heros reorum lacrimis et miseria delectentur, nunc deum orat, ut eum sui misereat tanquam rei et damnati. — Certum igitur quoddam heroum Lyci certumque tribunal qui Comici verbis inculcavit, iniuriam fecit. At formam, qualis fuerit herois, Comici verba docere possunt. Philocleo enim haec, postquam heroem vicinum, ut sibi subveniret, oravit:

> κοὐ μή ποτέ σου παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω*).

*) Quem versum, ut hoc obiter moneam, varie tentaverunt Batavorum nonnulli, ut Cobetus et Heckerus, quorum hic, non posse formam futuri οὐρήσω ferri suo iure existimans, coniecit: οὐρήσομαι οὐδ' ἀποπάρδω: atque alio vitio aliud tollere conatus est. Neque enim, licet bene Graeca sapiat, οὐδ' ἀποπάρδω sciet cum οὐρήσομαι componere, ut hoc coniungatur cum οὐ μή, coniunctivus autem cum οὐδέ, quum, quantum ego video, Graecum sit aut οὐ μὴ οὐρήσομαι οὐδ' ἀποπαρδήσομαι, aut οὐ μὴ οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω. Heckerus autem pro παρὰ scribendum πρὸς esse censet, quum παρά τι iuxta sit, non πρός τι, nimiumque sit obscoenitatis πρὸς τὰς κάννας, versus storeas, tanquam e longinquo mingere. Tum πρὸς ταῖς κάνναις opinor scribendum erat.

Ad haec igitur scholiasta R. et V. κάννας: τὰς ψιά(θους. λέγεται δὲ καὶ κάνης καὶ κλίνεται τοῦ κάνητος· ὡς) ψιάθοις δὲ περιπεφραγμένου τοῦ ἡρῴου καὶ ἐστεγασμένου (φησίν, οὐ παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω). — ἄλλως. ὅταν θυσιάσωσι, περιφράσσουσι ψιάθους καναβίνας. κάννας δὲ ἔφη τὰς ψιάθους. — Respicit versum Comici Pollux VII, 176: κάνναι δὲ τὸ ἐκ καννάβων πλέγμα, ῥιπές τινές εἰσιν ἐν Ἀριστοφάνους Σφηξίν. Idem plura X, 183 et 184 in his: μάλιστα δ' ἐχρῶντο τῷ πλέγματι τούτῳ εἰς τὰ περιφράγματα. Similia Hesychius s. v. κάνναι (cfr. Suidas s. v. κάνναις et κάνης), Photius, Etymol. M. s. v. κάνναθρον. Fuit igitur simulacrum storeis circumseptum, tanquam cancellis, storeisque contra vim tempestatis contectum; ad modum fortasse Hermarum factum, circumseptum autem, ne ut illi et Hecataea (v. Ran. v. 366) tum mingendo tum cacando contaminaretur, sed his ipsis cancellis etiam meliorem utrique rei occasionem praebens. Eius modi heroum, illis temporibus statua fortasse ornatum, opere atque artificio facta, in scena conspicuum fuisse supra conieci. Quod eo videtur confirmari, quod v. 820 Philocleo, neque iusti dicasterii neque heroi amplius cupidus aut memor, a filio, ut sibi Lyci heroum apportet, petit. Cui filius aliquam tabulam ostendit aut simile quid, quod heroem et fingit et perstringit:

Bdel. πάρεστι τουτὶ χαὐτὸς ἄναξ·οὑτοσί.

et pater: ὦ δέσποθ' ἥρως, ὡς χαλεπὸς ἄρ' ἦσθ' ἰδεῖν!

Scholiasta: πινάκιον κομίζει, ἐν ᾧ γεγραμμένος ἦν ὁ λύκος: et ad χαλεπὸς — ἰδεῖν: ὡς δυσμόρφου γεγραμμένου τοῦ ἥρωος. Quae sequuntur, hanc explicationem tuentur: Bdel. οἷός περ ἡμῖν φαίνεται Κλεώνυμος, i. e. tam miser, quam ῥίψασπις iste vel ἀσπιδαποβλὴς (Vesp. 592) utique a Comico carptus: de quo schol. v. 822: ἄρυθμος καὶ μακρός. προείρηται γὰρ ὅτι φαῦλος ἦν (Vesp. 22 et alibi multis locis) τὴν ὄψιν καὶ κακοσύνθετος τὸ σῶμα ὁ Κλεώνυμος. τοῦτο δὲ εἶπε, καθὸ καὶ χαλεπὸς ἦν δημαγωγός. Consentit Sosias, alterum esse Cleonymum, neque ergo arma eum habere. Sed propterea quod taeterrimam Cleonymi cuiusdam imaginem aspicere se dicit, pro ἦσθ' ἰδεῖν scribendum duco εἰσι-

δεῖν, quod melius quam ἦν ἰδεῖν, ut primo conieceram eo consilio, ut senem clamare iuberem ὦ δέσποθ' ἥρως — tum spurcissima figura perterritum atque ad filium conversum — ὡς χαλεπὸς ἄρ' ἦν ἰδεῖν, quam terribilis erat adspectu! Potuisset aeque bene scribi ἔστ' ἰδεῖν: quam est adspectu formidabilis!

XVIII. Hactenus de partibus dicasteriorum. Sed priusquam res, quibus iudices usi sint, percenseo, de versu Comici dicam, ex quo aliquid de *forma dicasteriorum* erui posse videatur.

Philocleo, cui filius persuaserat, ut maneret iudiciumque suum ante domum haberet, postquam hic intro iit arcessitum, quae ad rem necessaria sunt, talia loquitur, v. 799:

ὅρα τὸ χρῆμα, τὰ λόγι' ὡς περαίνεται.
ἠκηκόη γὰρ ὡς 'Αθηναῖοί ποτε
δικάσοιεν ἐπὶ ταῖς οἰκίαισι τὰς δίκας,
κἂν τοῖς προθύροις ἐνοικοδομήσοι πᾶς ἀνὴρ
αὑτῷ δικαστηρίδιον μικρὸν πάνυ,
ὥσπερ 'Εκάταιον πανταχοῦ πρὸ τῶν θυρῶν.

Schol. ad v. 804: 'Εκάταιον: ἱερὸν 'Εκάτης, ὡς τῶν 'Αθηναίων πανταχοῦ ἱδρυομένων αὐτὴν ὡς ἔφορον πάντων καὶ κουροτρόφον (vid. Lys. v. 700) et Schol. Apoll. Rhodii III, 861 p. 470, 23: καὶ φάσματα ἐπιπέμπει τὰ καλούμενα 'Εκαταῖα κτλ. Scholia ad Ran. 366 a nostro loco aliena sunt praeter Victorii.

De Hecate dea multus est Comicus, et cultum eius perquam vulgarem fuisse saepissime indicat. (Lysistrata v. 63 θοὐκάτειον s. θοὐκάταιον pro τἀκάτιον post Bentleium editores usurparunt.) Sufficit Lobeckium Aglaoph. p. 1336 sqq. nominare, et quae de sacellis his, quorum forma non satis constat, attulit: cfr. etiam l. l. p. 1006 not. Ipse vir summus 'Εκαταῖον nos iubet scribere (in multis editionibus est 'Εκάτειον, in nonnullis 'Εκάταιον, scholiasta probat 'Εκατεῖον) atque in Vesp. v. laud. scribit ἀνοικοδομήσει pro ἐνοικοδομήσει, addens: „apparet sacella Hecatae foribus proxima et frequentissima fuisse in urbe.“ Iam haec ipsa explicatio, collatis scholiasta et Hesychio s. v. 'Εκάταια, postulare videtur ἐνοικοδομήσει i. e. ad ipsam domum vel in ipso domus muro, ut deae simulacrum eum attigerit. Ac simillimum videtur

sacellum fuisse Lyci heroo, storeis circumsepto, quas Philocleo aptissime cum cancellis ligneis dicasterii mente atque animo comparans, optat, ut praeter Hecataeum etiam dicasterium proxime fores ad ipsum murum exstruatur. Quod vero Comicus ὥσπερ Ἑκάταιον dixit, id non tam propter frequentiam Hecataeorum, quam propter Deae signum fecit. Senex enim ante fores assidens prope Hecataeum, quod πανταχῇ πρὸ τῶν θυρῶν, itaque ad fores ipsius quoque erat, optat, ut ad modum Hecataei simulacrum Lyci herois cum tribunali aeque frequenter ad cuiusvis domus fores exstructum sit. Αἱ κάνναι denique et Lycei et, ut videtur, Hecataei Philocleoni etiam τοῦ περισχοινίσματος loco sunt. De quo Pollux VIII, 123: τὸ δὲ δικαστήριον περιεσχοινίζετο, τοῦ μὲν βασιλέως παραγγείλαντος (in causis igitur, quarum ἡγεμονία penes archontem βασιλέα erat), τῶν δὲ θεσμοθετῶν πληρούντων τὸ δικαστήριον (hoc fieri non potuit nisi uno vel duobus tantum iudiciis constitutis). τὸ δὲ περισχοίνισμα ἀπὸ πεντήκοντα ποδῶν ἐγένετο· καὶ οἱ ὑπηρέται ἐφειστήκεσαν, ὅπως μηδεὶς ἀνεπόπτευτος προσίῃ. Quod factum esse in certis quibusdam causis, idem Pollux testis est VIII, 141: περισχοινίσαι δὲ τὸ δικαστήριον, ὁπότε περὶ μυστικῶν δικάζοιεν, ἵνα μὴ προσίῃ μηδεὶς ἀνεπόπτευτος ὤν. Iudiciis igitur ut ita dicam quotidianis cancelli sufficiebant; ista vero circumseptio, τὸ περισχοίνισμα, argumento est, dicasteria subdialia fuisse, atque vulgus ad cancellos accedens per eosque si fieri posset tribunal et iudices conspiciens causae iudicioque intererat auditor occultus. Τὸ περισχοίνισμα denique etiam in concionibus adhibitum esse, ut praeter cancellos in iudiciis, Dem. testatur κατὰ Ἀριστογ. α′ p. 776: τὸ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι καὶ ἅπαντας ἐκποδὼν ἀποχωρεῖν.

XIX. Nos quoque accedamus ad reliqua σκεύη δικαστικά, Pollucem sequentes, qui VIII, 16 enumerat haec: σκεύη δικαστικὰ σύμβολον, βακτηρία, πινάκιον τιμητικόν, μάλθη, ᾗ καταλήλιπτο τὸ πινάκιον, ἐγκεντρίς, ᾗ εἷλκον τὴν γραμμήν (μακρὰ δὲ ἐκαλεῖτο ἣν καταδικάζοντες εἷλκον), ψῆφος, χοιρίναι. In his omisi, de quibus

ut partibus dicasterii suprà exposui; iam, quae nunc sequuntur, his significantur res quibus utebantur iudices, quarum partem secum apportabant, partem a magistratu accipiebant. At primo loco ponam, quod omissum est a Polluce l. l., quippe qui id pertinere ad res iudiciales non arbitraretur aut oblitus esset, τὸ τριβώνιον dico. Xanthias igitur servus senis furorem iudicialem enarrans, filium dicit eam aegre ferre, v. 116: ὁ γὰρ υἱὸς —

ἀνέπειθεν αὐτὸν μὴ φορεῖν τριβώνιον
μηδ' ἐξιέναι θύραζε.

Τριβώνιον explicat P. Victorius: ὃ οἱ δικασταὶ φοροῦσιν. Non iudices solum, sed senes potissimum hoc pallio induebantur. Vocatur autem a Comico et τριβώνιον et τρίβων, et videntur eiusdem verba Lys. 278 non tam ad Cleomenem male ab Atheniensibus mulcatum, quam ad quemlibet, qui pallio sive lacerna uteretur, pertinere, propter quam quilibet, σμικρὸν ἔχων πάνυ τριβώνιον, vocaretur

πινῶν, ῥυπῶν, ἀπαράτιλτος
ἓξ ἐτῶν ἄλουτος.

Similia apud Lysiam κατὰ Διογείτ. p. 903. Erat nonnumquam aut saepe, ut Vlixis illud marsupium, πυκνὰ ῥωγαλέον. Cf. Aristophontis versus ap. Athen. IV, 161 et Diog. Laert. VIII, 38, Mein. Com. III, 362 sq., item Eupolidis ap Polluc. VII, 168, Mein. Com. II, 529. In Pluto v. 715 Cario per lacernam se conspexisse res varias fatetur:

ὀπὰς γὰρ εἶχεν οὐκ ὀλίγας μὰ τὸν Δία.

Gestabant igitur senes hanc lacernam, quod filiis parciores magisve avari erant, vel quod eam gestare consuerant ut commodiorem, quam atterere eos non poeniteret, Vesp. 1122:

οὔτοι ποτὲ ζῶν τοῦτον ἀποδυθήσομαι,
ἐπεὶ μόνος μ' ἔσωσε παρατεταγμένον,
ὅθ' ὁ βορέας ὁ μέγας ἐπεστρατεύσατο,

i. e. aquilo ille, qui Persarum naves ad Artemisium demersit, ut docet scholiasta: et iterum v. 1127:

καὶ γὰρ πρότερον (quum forte pretiosa veste indutus essem)
ἐπανθρακίδων ἐμπλήμενος ἀπέδωκ' ὀφείλων τῷ κναφεῖ τριώβ ον,

i. e. si lacerna mea usus essem, non maculata ea esset neque fulloni eam purgandam deferre coactus essem. Plut. 842. 882. 887. 935. Eccl. 850. Ach. 184. 343. Eadem igitur senes quoque ecclesiastae utebantur Vesp. 33, quod novo potest documento esse, quum iudices et senes et pauperes fuisse, tum eosdem et heliastas et ecclesiastas eodem tempore sive anno. Cu τρίβωνι sive τριβωνίῳ opposita ἡ χλαῖνα, laena, quam Bdelycleo patrem induere iubet v. 1131:

τὸν τρίβων' ἄφες·
τηνδὶ δὲ χλαῖναν ἀναβαλοῦ τριβωνικῶς,

i. e. ut pallium tuum gestare consuesti. Schol. R. ὡς πρέπει γέροντι. Ven. ἐὰν μὲν τριβωνικῶς, ὥσπερ τριβώνιον τετριμμένῳ καὶ ἀσθενήσαντι (scribendum puto τετριμμένον καὶ ἀσθενῆσαν, ut cum τριβώνιον coniungatur), ἐὰν δὲ γεροντικῶς, ὡς πρέπει γέροντι. (Vocatur tamen τὸ τριβώνιον etiam θοἰμάτιον, ut Nub. 856. Eccl. 315. 341. Thesmoph. 214, ubi vide Engeri annotationem.) Senex porro hanc in Laniperdam (ἐριώλην), quae ἐρίων τάλαντον καταπέπωκε ῥᾳδίως v. 1147, tanquam in furnum immersus etiam calceos suos detestabiles cum baxeis Laconicis permutare a filio iubetur, v. 1157 sq. Schol. ἐμβάδας τὰ δικαστικὰ ὑποδήματα. Senex φιληλιαστής, ut multa nocte adsit ad tribunal, v. 103,

εὐθὺς δ' ἀπὸ δορπηστοῦ κέκραγεν ἐμβάδας.

Hi igitur calcei, vetusti quidem et contriti non minus quam pallia, senum pedes fovent vel potius premunt. Constanter autem Comicus τὰς ἐμβάδας vocat, quum de vestimento senum loquitur: Equit. v. 871. 872. 875, ubi isiciarius Demo seni novos calceos dono dat. Vesp. 275. 445. Eccl. 633. Plut. 759. Saepius etiam τὸ τριβώνιον et αἱ ἐμβάδες una memorantur, ut Nub. 858. Eccl. 314. 342, et ap. Isaeum περὶ τ. Δικαιογ. κλ. p. 94: ὀνειδίζει καὶ ἐγκαλεῖ αὐτῷ ὅτι ἐμβάδας καὶ τριβώνια (paupertatis signa) φορεῖ, et, ubi τὰ ἐμβάδια audiunt, Plut. 848. 941. Ceterum cfr. Suidas et Zonaras, Hesychius s. v. ἐμβάς, Ammon. s. v. ἐμβάδας, Suidas s. v. τρίβων c. not. Gaisfordii, s. v. τριβώνιον et τριβωνοφόρος c. not. Kusteri, Photius, Hesychius s. v.

τρίβων, ubi de signis palliorum vide Albertum, et s. v. τριβώνιον, τριβωνοφόρος.

XX. Tertium est et senectutis et muneris iudicialis signum ἡ βακτηρία, quamquam hanc etiam virorum et maritorum apparet esse ex Eccl. v. 74. 150. 509. 542 sqq., quibus locis vestitus virilis enumerantur hae partes: αἱ λακωνικαί, θοἰμάτιον, ἡ βακτηρία; ut v. 509:

ῥιπτεῖτε χλαίνας, ἐμβὰς ἐκ ποδῶν ἴτω,
χάλα συναπτοὺς ἡνίας λακωνικάς,
βακτηρίας ἄφεσθε:

locus memorabilis, quo χλαῖνα et τρίβων, ἐμβὰς et λακωνικαὶ permutantur. At reliquis locis ἡ βακτηρία manifestum aetatis senilis signum est, ut Ach. 682. Nub. 541. Vesp. 1296. Plut. 272; in Ach. 448 etiam mendicantis (πτωχικὸν βακτήριον), in Eccl. 276 rusticorum senum, in Vesp. 33 denique ecclesiastarum, baculos et pallia habentium instar civium heliastarum. Ad quem locum scholiasta: παλαιὸν ἦν ἔθος τοὺς ἐντίμους γέροντας τριβωνοφοροῦντας ἐκκλησιάζειν μετὰ βακτηρίας. Schol. vero Plut. 272: πάντες οἱ γέροντες ἐν ταῖς Ἀθήναις δύο βακτηρίας ἐβάσταζον. Ex utroque loco coniiciam, re vera et ecclesiastas et heliastas binos habuisse baculos, alterum proprium eumque maiorem, cui inniterentur, alterum, quod muneris esset signum, minorem illum manuque laeva gestum. Maiorem igitur vocabant directum, ut docet Etymolog. M. s. v. βακτηρία, ἣν ἐκάλουν ὀρθήν. ἐχρῶντο δὲ αὐτῇ οἱ ἐν περιουσίᾳ καὶ οἱ δικάζοντες; ubi nullus dubito quin emendandum sit οἱ ἐν ἐκκλησίᾳ: οἱ ἐν περιουσίᾳ, opulenti, nihil est: τῇ δὲ καμπύλῃ οἱ ἄγροικοι, i. e. omnino omnes cives baculis niti (Suidas βακτηρεύειν, στηρίζεσθαι) solebant, directis urbani, rustici inflexis. Sensu carent, quae Suidas praebet s. βακτηρία: β. καὶ σχῆμα καὶ τριβώνιον (trimetrum Nauckius dicit, comparans Libanii Ep. 195 p. 93) ἢ τριώβολον. τοῦτο ἐπὶ τῶν σκωπτόντων τοὺς δικαστὰς τοὺς Ἀθήνησιν. Pro σχῆμα aliud quid, ψῆφος vel σύμβολον similia, legerim, pro ἢ καί: ut enumeratio sit nonnullorum σκευῶν δικαστικῶν, quae ut unumquodque per se σκεῦος potuerint cavillandi causa de iudi-

cibus usurpari. Optime enim quilibet iudex poterat βακτηρία, σύμβολον, τριβώνιον, τριώβολον etc. a derisoribus vocari.

XXI. Ab hoc igitur baculo, quem Comicus saepius memoravit, diversus est alter *baculus minor*, quem inter σκεύη δικαστικὰ Pollux cum symbolo nominat. Quo de praeter Suidam multus est scholiasta Ar. Pl. 277. Suidas igitur: βακτηρία καὶ σύμβολον, ὃ λαχόντες δικάζειν ἐλάμβανον παρὰ τῶν δημοσίων ὑπηρετῶν σύμβολον καὶ βακτηρίαν καὶ οὕτως ἐδίκαζον. (In his scribendum censeo οἱ λαχ. pro ὅ, nisi typothetarum error est.) τὴν χρόαν ὁμοίαν εἶχε τῇ βακτηρίᾳ τὸ δικαστήριον. τὸ μέντοι σύμβολον μετὰ τὴν κρίσιν ἀποδιδόντες ἐκομίζοντο τριώβολον. Hinc apparet, diversum fuisse baculum a symbolo, quod mihi quidem non videtur veri esse simile; Kusterus tamen: „Legerim potius σύμβολον τὴν βακτηρίαν. Ipse enim baculus, qui iudicibus dabatur, symbolum erat muneris δικαστικοῦ, ut clare docet scholiasta Aristophanis Pl. 277. 278.“ Cui opponit Bernhardyus: „Mireris Kusterum inter alia praeterisse, quod diserte pronunciavit scholion, ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον.“ Quae num recte disputata sint, statim videamus. Quale igitur istud symbolum fuerit, Suidas ignorat, quum scribit s. v. σύμβολον, ὃ ἐλάμβανον οἱ δικασταὶ εἰς τὸ δικαστήριον εἰσιόντες, εἶτα τοῦτο δόντες τὸ δικαστικὸν ἐκομίζοντο. ἦσαν δὲ (symbola scil. et dicasteria) τὸν ἀριθμὸν ἀπὸ τοῦ α′ ἕως τοῦ κ′. Similiter Lex. rhet. p. 301, 1: γραμματεῖόν τι, ὃ ἐλάμβανε τῶν δικαστῶν ἕκαστος εἰσιὼν εἰς τὸ δικαστήριον, ὅ ἐστι πινάκιον. Scholiastarum vero alius aliter; secundus enim: ὅσοι δὲ δικασταὶ ἦσαν ἐν Ἀθήναις, ἕκαστος καθ’ ἕκαστον δικαστήριον εἶχε δέλτον, τουτέστι (addit Venetus) πινάκιον ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ δικαστηρίου. εἶχε δὲ καὶ ῥάβδον ἅμα τῷ πινακίῳ καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον. Hic pro τοῦ δικαστηρίου legerim τοῦ δικαστὴν εἶναι, nam τοῦ δικαστηρίου omni sensu caret. Scholiasta quoque tertius ita: ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ πινάκιον ἔχων ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ πατρόθεν καὶ τοῦ δήμου καὶ γράμμα ἕν τι μέχρι τοῦ κ′, διὰ τὸ πάλαι δέκα φυλὰς εἶναι Ἀθήνησι. διῄρηντο γὰρ κατὰ φυλάς. Hac

igitur litera apparet significatum esse civem, qui post annuam sortitionem hac tabella per totum annum utebatur eamque magistratui, qui singulis singulorum iudiciorum sortitionibus praeerat, monstrabat. Quod equidem eo magis verum esse puto, quod Schoemannum l. l. p. 204 eiusdem sententiae principem esse video. Qui ita pergit: „Haec si ita fuerunt, necesse est, diversas has tabellas fuisse a συμβόλοις sive tesseris, quae iudicibus post sortitionem dicasterium intrantibus a magistratibus dabantur, quibus post iudicatam causam prolatis mercedem acciperent.“ — Iam quum de πινακίῳ sive tabella constare mihi videatur, unumquemque eam iudicem, quando sortitum iret, secum tulisse, quaeritur, num τὸ σύμβολον diversum fuerit a baculo illo, de quo supra Suidam audivimus exponentem. Aristoteles quidem apud schol. 278 haec: ὁ δὲ λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει εἰς δικαστήριον τὸ ὁμόχρουν μὲν τῇ βακτηρίᾳ, ἔχων δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα, ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ. (De colore scipionis cfr. Lex. rhet. 220, 17 et schol. Ar. Vesp. 1110, ubi utrumque baculorum genus diserte significatur.) ἐπειδὰν δὲ εἰσέλθῃ, παραλαμβάνει σύμβολον δημοσίᾳ παρὰ τοῦ εἰληχότος ταύτην τὴν ἀρχήν. Schol. contra Iuntinus: ἐδίδου δὲ ὁ κῆρυξ αὐτοῖς ῥάβδον, ἥτις ἦν σύμβολον τοῦ δικάζειν, ἵνα ἕκαστος καθ' ἑσπέραν ἀποδιδοὺς τῷ πρυτάνει τὴν ῥάβδον τριώβολον λαμβάνῃ μισθὸν τῆς δικάσεως. Aristoteles igitur diversum baculum a symbolo, scholiasta Iunt. unum idemque fuisse statuit. Scholiasta autem Venetus secundus etiam quartum addit nomen. Qui quum mirabilia quaedam de sortitione protulerit (apud eundem ut apud Suidam in verbis: πινάκιον ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ δικαστηρίου scribendum censeo τοῦ δικαστὴν εἶναι), κλῆρον cuique, i. e. sortis signum, traditum esse narrat: καὶ πρῶτον μὲν ἐδείκνυε τῷ κήρυκι τοῦ δικαστηρίου τὸν κλῆρον τοῦ στοιχείου (quidni τὸ τοῦ κλήρου στοιχεῖον?), ὁ δὲ κῆρυξ λοιπὸν ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον, εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν. Quomodo haec inter se concilianda sint, difficile dictu, nisi malis scholiastarum auctoritatem spernere propriamque rationis sanae viam ingredi. Si fieri posset, duas tantum res iudicibus concederem, tabellam „die allgemeine“

et baculum sive symbolum „die specielle Legitimation", quo priore monstrato civis ad sortitionem annuam, altero ad quotidianum admitteretur iudicium. Priore igitur, i. e. tabella, τῷ πινακίῳ, per annum utebatur iudex sortitus, altero i. e. baculo, τῇ βακτηρίᾳ s. τῷ συμβόλῳ, per singulos dies. Hunc baculum s. scipionem mane sibi traditum causa iudicata magistratui, i. e. colacretis, reddebat triobolum accepturus. Hinc sequeretur, ut colacretae, de quorum munere v. schol. Ar. Vesp. 695 et schol. Av. 1541. Polluc. VIII, 97. Hesychium, Suidam, Etym. M., Photium s. v., Harpocrat. s. v. ἀποδέκται, qui lac iudicibus infunderent, ad ipsius dicasterii exitum praesto essent, ut acciperent simul et solverent. Quod si non ita fuerit, manifestum est, tertio quodam opus fuisse, ne iudices deciperent magistratum. Nam licet iudicandi furor invaserit Atheniensibus, avaritia tamen et libido trioboli accipiundi aeque vehemens iis invasit. Itaque, si colacretae ad ipsa dicasteria non fuerunt, facillimum erat, otii mercedem surripere, quae negotio constituta erat. Neque veri dissimile est, colacretarum unum vel plures in singulis dicasteriis sub finem causarum adfuisse. Decem enim numero fuisse ex Aristotele tradit Harpocr. s. v. ἀποδέκται. Ar. Vesp. 695 Bdelycleo patri exprobrans quod se decipi patiatur:

σὺ δὲ χασκάζεις τὸν κωλαγρέτην, τὸ δὲ πραττόμενόν σε λέληθεν.

Quod apparet nisi de magistratu praesente intelligi non posse. Schol. bene: ἀντὶ τοῦ ἐπιτηρεῖς, πότε ἔλθῃ ὁ κωλακρέτης καὶ ἐνέγκῃ σοι τὸ τριώβολον. Accedit, quod τοῦ συμβόλου bis mentio fit a Comico, Eccles. 297:

ὅπως δὲ τὸ σύμβολον
λαβόντες ἔπειτα πλη-
σίον καθεδούμεθ', ὡς
ἂν χειροτονῶμεν
ἅπανθ' ὁπόσ' ἂν δέῃ κτλ.,

et Av. 1214:

— οὐδὲ σύμβολον
ἐπέβαλεν ὀρνίθαρχος οὐδείς σοι παρών;

Vnde patet, ad comitia quoque opus fuisse symbolo, quod

sine dubio intrantibus a magistratu traditum concione finita colacretae opinor reddebatur, qui mercedem ecclesiasticam penderet. — At de scipione heliastico apud Comicum quidem nihil, ut iam supra monui. His adducor, ut in Kusteri partes eam legendumque cum eo apud Suidam putem: σύμβολον τὴν βακτηρίαν. Ceterum τὸ σύμβολον commune nomen videtur fuisse earum rerum, quas iudices secum ferebant; sic apud Hesychium s. v. πινάκιον explicatur per σύμβολον δικαστικόν, item ap. Photium τὸ πινάκιον τιμητικὸν vocatur σύμβολον.

Laminas denique aliquot, quas Boeckhius C. I. N. 207—210 p. 341 sq. cum Schoemanno heliasticas esse contendit, potius ecclesiasticas esse dixerim, a iudiciali symbolo diversas, ut videtur, forma, non diversas inscribendorum nominum ratione.

XXII. Postquam igitur de duabus rebus, tabella, quae τὸ πινάκιον, πινακίδιον, ἡ δέλτος, τὸ δελτίον (sive δαλτίον, nam δαλκίον Hesychii Kustero et Alberto iure suspectum est; Pollux autem X, 57 praebet δελτίον) vocatur, et baculo vel scipione, cui ἡ βακτηρία, ἡ ῥάβδος, denique τὸ σύμβολον nomen est, sententiam exposuimus, ad tertium quoddam accedimus explicandum: τὸ τιμητικὸν πινάκιον. Philocleo a Xanthia servo retibus circumseptus atque adeo, quod dentes non haberet, quibus ea corrodere posset, derisus, v. 166:

πῶς ἄν σ' ἀποκτείναιμι; πῶς; δότε μοι ξίφος
ὅπως τάχιστ', ἢ πινάκιον τιμητικόν.

Schol. Ven.: καταδικαστικόν (aut δικαστικόν scribendum, aut a potiori dictum esse censendum), ὅπου τὴν μακρὰν χαράσσοντες κατεδίκαζον ἢ τὴν μικρὰν καὶ ἀπέλυον. Rav.: εἰς δ ἐτίμων καὶ τὰς μακρὰς λεγομένας εἷλκον ἐν τοῖς ἐπάνω. Hic, quid sibi velit ἐν τοῖς ἐπάνω, non intelligo. Possit, puncto post εἷλκον posito, dictum esse pro ὡς ἐν τοῖς ἐπάνω εἴρηται (cfr. Xen. Anab. VI, 3, 1) atque ad versum 106 respicere, ad quem schol. Rav.: εἰώθασιν οἱ καταδικαζόμενοι ἐν τῷ γραμματιδίῳ μακρὰν γραμμὴν ἕλκειν. Lex. rhet. p. 299, 3 s. v. πινάκιον: σύμβολον δικαστικόν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο τὸ τοῦ κρινομένου πρᾶγμα καὶ ὁ δῆμος. Obiter moneo, Areopagum in Lex. rhet. p. 253, 26 vocari τὸ ἐπάνω

δικαστήριον. Porro v. 848 τὰς σανίδας a scholiasta explicari, ut sint πινάκια τιμητικά, supra monui. Hae igitur tabulae, aeneae illae aut buxeae (v. Phot. s. v. πινάκιον et H. Stephan. s. v. πύξιον et πύξινος), cera oblinebantur, quae a Comico Vesp. 108 κηρὸς vocatur, a lexicographis μάλθη, μάλθα et ῥύπος. Hesychius s. v. μάλθη: μεμαλαγμένος κηρός. Pollux X, 58 sq. et VIII, 16: μάλθη, ᾗ κατηλήλιπτο τὸ πινάκιον. (Cfr. H. Steph. s. v. μάλθα.) Cum tabella autem et cera una ἡ ἐγκεντρὶς nominanda est, ᾗ εἷλκον τὴν γραμμήν, ut Pollux ait VIII, 16. Noster in Vespis chori aculeos ἐγκεντρίδας vocat v. 427 et 1073, i. e. κέντρα, ut v. 420 Xanthias perterritus clamat:

Ἡράκλεις! καὶ κέντρ' ἔχουσιν.

At manifestum est ex eo, quod Bdelycleo respondet:

οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον ἐν δίκῃ τὸν Γοργίου,

aculeos istos vesparum formam habuisse stilorum vel graphiorum, quibus lineas ducebant. His itaque graphiis, quae alioquin γραφεῖα audiunt, ut apud Polluc. X, 59, schol. Vesp. 838. 849 alibi, quum plerumque iudices uterentur, tamen strenui et ut ita dicam iudicissimi ungue sulcos ducebant, unguesque cera sublitos gestabant, v. 107:

ὥσπερ μέλιττ' ἢ βομβυλιὸς εἰσέρχεται
ὑπὸ τοῖς ὄνυξι κηρὸν ἀναπεπλασμένος,

et v. 850 respuit Philocleo, ut videtur, graphium, quum dicat:

ἐγὼ δ' ἀλοκίζειν ἐδεόμην τὸ χωρίον:

ubi schol. R. ἀροτριᾶν, cui Ven. addit: ἀλοκίζειν τὸ τῷ ὄνυχι γράφειν εἰς τὸ τιμητικὸν πινάκιον, οὕτως εἴρηκεν, αὔλακας σχίζειν.

Iam quum duabus his rebus, tabula cera oblita et graphio, nemo possit dubitare, quin iudices re vera usi sint, restat quaestio, quando sint usi. Prius etiam atque libentius quaererem, cur his rebus iudex deberet instructus esse, quum suffragium fieret per calculos. Neque possum mihi rem explanare, nisi accipiam, tabulas has memoriae adiuvandae inserviisse, memoriae et senum et magnam partem male eruditorum, ita ut dum causa ageretur, de reo aut absolvendo aut damnando suam sibi fingerent sententiam, quam dicta causa finitaque manifestam redde-

rent calculo; v. Lex. rhet. p. 299, 3 supra laud. Quae quidem num vere disputata sint licet dubitare possis, maiorem tamen veri speciem habent quam scholiastae narratio Ven. ad v. 106: τοῦτο (i. e. τὸ τὴν μακρὰν ἢ τὴν βραχεῖαν γραμμὴν ἕλκειν) δὲ ἐποίουν μετὰ τὸ ἀποβλέψαι εἰς τὰς ψήφους τὰς ἐν τῇ κάλπιδι. εἰ γὰρ ἑώρων τὰς μελαίνας πλείους, ἐχάραττον τῷ ὄνυχι τὴν μακράν, εἰ δὲ τὰς λευκάς, τὴν βραχεῖαν. ὅτε δὲ πλείους ἦσαν αἱ λευκαί, ὁ διώκων ἐνίκα, ὁ φεύγων δέ, ἢν πλείους αἱ μέλαιναι, κατεκρίνετο. Vltima verba falsa esse, iam Florens Christianus ad v. animadvertit, pro ὁ διώκων scribi ὁ φεύγων iubens. Mihi quidem plane reiiciendum videtur ὁ διώκων, reponendumque ὁ φεύγων ἐνίκα, ἢν δὲ πλείους αἱ μέλ., κατεκρίνετο. Verum scholio in hunc quoque modum sanato, reliqua non sunt sana. Neque enim persuadere mihi possum, iudices tabula tantum usos esse, ut enumeratis calculis animadverterent propriumque in usum sulco illo significarent, damnatusne an absolutus esset reus; neque modus suffragii esse potuit τὸ χαράττειν. Non enim τὸ χαράττειν condemnat aut absolvit, sed τὸ ψηφίζεσθαι, i. e. calculum in urnam coniicere. Neque, licet condemnandi libido maxima fuerit et taeterrima, alius alium conspexisse credibile est, ut quum hic album immisisset calculum, nigrum ipse immitteret, ne reus posset absolvi. Absurdum hoc foret lusuque puerorum dignum, gravitate tribunalium prorsus indignum. Contra veri simile est, senes φιληλιαστάς, ut supra conieci, his tabulis et sulcis tabularum irae suae iudiciali succurrisse, multosque inter eos fuisse, qui nihil nisi longum ducere sulcum consuessent, secundum Nostrum v. 106:

ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι τιμῶν τὴν μακράν.

V. Meier. et Schoem. Att. Pr. p. 726 et de multiplici v. πινάκιον significatione Suid. s. v. πινάκια et Steph. s. v.

XXIII. Percensuimus quattuor res iudiciales, quas iudices, dum intrant dicasterium, secum ferunt: tabulam, qua ius suum iudicandi probent, tum symbolum, quem scipionem coloratum literaque insignitum scimus esse, quo ius certi cuiusdam dicasterii adeundi defendant, deinde τὸ τιμητικὸν πινάκιον, tabulam

aestimatoriam, in qua suam sibi signent litis aestimationem, ne memoria ipsos possit fallere; denique graphium s. stilum, alligatum fortasse ad tabulam, cuius vicarius nonnunquam unguis est, nunc brevem, nunc, quod saepius accidit, longum ducens sulcum. Quattuor igitur has res iudices secum apportabant ad dicasterium, quintam, de qua nunc agemus, ad ipsum dicasterii introitum a magistratu, i. e. thesmotheta eiusque ministris, accipiebant, nimirum calculos.

Vsitatissimum *calculi* nomen ἡ ψῆφος est, undecies a Comico usurpatum, maxime, ut par erat, in Vespis, videlicet sexies: v. 94. 109. 656. 675. 987. 1207. Cfr. Hesychius s. ψηφῖδες, ψῆφοι, μικροὶ λίθοι; item Etym. M. Zonaras, Suidas. V. 94 Xanthias de Philocleone:

ὑπὸ τοῦ δὲ τὴν ψῆφόν γ' ἔχειν εἰωθέναι
τοὺς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων ἀνίσταται,
ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νουμηνίᾳ.

Filius patrem hortaturus, ut canem reum absolvat v. 987:

τηνδὶ λαβὼν τὴν ψῆφον ἐπὶ τὸν ὕστερον
μύσας παρᾷξον κἀπόλυσον, ὦ πάτερ!

Scholiastae verba ad h. v. iam supra adscripsi; hoc loco repetere nonnulla necesse est. Incipit ergo: τὴν τετρυπημένην αὐτῷ δείκνυσι ψῆφον, eumque hortatur, ut calculum hunc damnatorium in vasculum immittat ἄκυρον vel ὕστερον; plenum igitur, τὴν πλήρη, absolutorium, in vasculum κύριον, ut per se patet. Hesychius s. v. στερεαί, τινὲς τῶν δικαστικῶν ψήφων. Nam quum filius suffragio lato calculos effundat humi (φέρ' ἐξεράσω), prius vasculum τὸν κύριον καδίσκον subvertit, alterum τὸν ἄκυρον intactum relinquit. Ita proruit calculus plenus iste, qui absolvebat. Quod scholiasta Ven. addit: εἰς τὸν ὕστερον καδίσκον τὴν ἀποδοκιμάζουσαν ἐνέβαλον ψῆφον, mendo scatet; emendandum ἀποδοκιμασθεῖσαν, i. e. reiectam, ἄκυρον factam. Erat porro alterum calculorum genus, a schol. Vesp. 106 commemoratum: τοῦτο (scil. τὸ τὴν μακρὰν τιμᾶν) ἐποίουν μετὰ τὸ ἀποβλέψαι εἰς τὰς ψήφους τὰς ἐν τῇ κάλπιδι· εἰ γὰρ ἑώρων τὰς μελαίνας πλείους, ἐχάραττον τῷ ὄνυχι τὴν μακράν, εἰ δὲ τὰς λευκάς, τὴν βρα-

χεῖαν. ὅτε δὲ πλείους ἦσαν αἱ λευκαί, ὁ φεύγων ἐνίκα, ἢν πλείους αἱ μέλαιναι, κατεκρίνετο. Suidas s. v. ψῆφος μέλαινα, ἡ καταδικάζουσα, λευκὴ δὲ ἡ δικαιοῦσα. Albi igitur et nigri calculi, utrique πλήρεις, ut apparet, quando pro perforatis, quos novimus, plenisque in usu fuerint, ignoramus. Fieri poterat, ut nunc illo nunc hoc genere calculorum uterentur aut uti iuberentur a thesmotheta, ne quis posset iudex cum perfidia suffragium ferre. — At memoratur tertium quoque calculorum genus, αἱ χοιρῖναι. Philocleo, a filio servisque obsessus, Iovem precatur v. 332:

ἢ δῆτα λίθον με ποίησον, ἐφ' οὗ
τὰς χοιρίνας ἀριθμοῦσιν.

Scholiast. Ven.: ἐν τῷ τῶν Ἱππέων δράματι εἴρηται (1150) ὅτι χοιρίναις ἐχρῶντο πρὸ τῶν ψήφων (i. e. ἀντί) οἱ δικασταί. ἦσαν δὲ κόγχαι τινές, ὥς φησιν Ἐπαφρόδιτος ἐν ταῖς λέξεσι. Schol. Eq. 1150: ἀντὶ δὲ ψήφων ταῖς χοιρίναις οἱ δικασταὶ ἐχρῶντο κτλ. Commemorantur praeterea αἱ χοιρῖναι Vesp. 349. Eq. 1332; schol. autem Vesp. 1304 χοιρόθλιψ ad χοιρίνας alludere censet. (De alio v. χοιρίνη sensu v. Lobeck. Aglaoph. p. 1067.) Quas conchas vel ante τὰς ψήφους in usu fuisse, schol. Eq. 1332 tradit: χοιρίναις ἐχρῶντο πρότερον πρὸ τῶν ψήφων. εἰσὶ δέ τινες κόγχαι θαλάσσιαι: idemque schol. Vesp. 333: τὰς δικαστικὰς ψήφους. εἰσὶ δὲ ὥσπερ κογχύλια λεπτά, οἷς πρότερον ἐχρῶντο ἀντὶ ψήφων οἱ δικασταὶ πρὸ τῆς εὑρέσεως τῶν κυάμων. οἱ δέ φασι καὶ παρὰ τὰς πέτρας αὐτὰς ἔχειν τὴν ὀνομασίαν, ἐξ ὧν ἐκλέγονται τὰ κογχύλια. χοιρίδες δὲ αἱ πέτραι. Hinc Hesychius et Zonaras: χοιρῖναι αἱ θαλάσσιαι ψῆφοι. Fortasse tertium hoc calculorum genus atque secundum idem est, cumque ipsis illis, quae proprie αἱ ψῆφοι vocantur, e mari marisque litore petitum. Quare Xanthias iocans v. 108:

ψήφων δὲ δείσας μὴ δεηθείη ποτέ,
ἵν' ἔχοι δικάζειν, αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει.

Quin etiam, si recte intelligo, χοιρῖναι, aut conchae aut lapilli (rupium particulae), inde nomen acceperint αἱ ψῆφοι, quod in suffragiis adhibebantur. Antiquitus igitur αἱ λευκαὶ et αἱ μέλαιναι scil. χοιρῖναι sumebantur, postea αἱ τετρυπημέναι et αἱ πλή-

ρεις scil. ψῆφοι. At poterant etiam αἱ χοιρῖναι in usu esse, quum commune calculorum nomen ἡ ψῆφος fieret. Suid. s. v. ψῆφος post egregiam Toupii, licet eam postea retractaverit, emendationem: κρίσις, ἀπόφασις δίχα λαλιᾶς (pro διαλαλιά), λόγος, vocem etiam pro ἡ διαψήφισις usurpatam esse docet. Fortasse etiam, liceat mihi in re tam incerta proponere, quod veri non dissimile videtur esse, fortasse igitur concharum commemoratio e sono orta est immissi calculi. Namque Hesychius s. v. κόγξ ὄμπαξ (Sopingius βόμβαξ, quod praestat) ἐπιφώνημα τετελεσμένοις (Lobeck. Aglaopham. p. 780 coni. κόγξ ὁμοίως πάξ, cui assentitur Hasius ad H. Stephanum s. v.), i. e. ἐπίφθεγμα, exclamatio, quam quis re finita edit; aut sonus qui re ipsa nascitur, καὶ τῆς δικαστικῆς ψήφου ἦχος, ὡς ὁ τῆς κλεψύδρας. παρὰ δὲ Ἀττικοῖς βλόψ (legendum ὡς ὁ τ. κ. παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς βλόψ). Priori voce haud dubie sonus rei in cavum aliquod vasculum incidentis redditur, posteriori stillae sonus in lapidem cadentis. Hinc putem, iam veteres calculos propter sonum κόγξ saepissime auditum κόγχας nominàsse, ut κλεψύδραν nominare poterant βλοψύδραν; neque tamen calculos propterea conchas fuisse, sed lapillos. Sed haec hactenus.

Superest, ut videtur, quartum calculorum genus, οἱ κύαμοι. Quamquam Comicus de usu fabarum s. lupinorum iudiciali paene tacet. In Equit. 41 de populo loquitur Pnycensi, fabas esitante, ubi schol.: κυαμοτρώξ] δικαστικός, κυάμους ἐσθίων. κυάμοις δὲ ἐχρῶντο οἱ δικασταὶ διὰ τὸ μὴ καθεύδειν ἢ ἀντὶ ψήφων. ἄλλοι δὲ διὰ τοῦ ς κυαμοτρώς, ὁ κυάμοις δικάζων, ὁ τιτρώσκων. τούτοις γὰρ ἐχρῶντο ἀντὶ ψήφων. Et Rav. τρεφόμενος ἀπὸ τῶν κυάμων· πρὸ γὰρ τῆς εὑρέσεως τῶν ψήφων κυάμοις ἐχρῶντο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. De his Schoemannus l. l. p. 270: „Itaque a iudiciali mercede hos „quibus calceus hinc est et panis fumusque domi" commodissime κυαμοτρῶγας appellari posse apparet; aluntur enim fabis, quibus in suffragio ferendo utuntur mercedemque merent." Ingeniose quidem, sed non necessarium. Eadem ratione populus possit audire τριωβολοτρώξ, ψηφοτρώξ, χοιρινοτρώξ, similia. Accedit, quod Comicus in Lysistrata 690:

ἵνα μή ποτε φάγῃ
σκόροδα μηδὲ κυάμους μέλανας:

diserte cives suos tanquam fabas esitantes ludit, recteque schol.: ἵνα μὴ δικάσῃ μηδὲ πολεμήσῃ. εἰς γὰρ τὸν πόλεμον φέρουσι σκόροδα, οἱ δὲ δικασταὶ τρώγουσι κυάμους, ἵνα μὴ κοιμηθῶσιν. ὅθεν „κυαμοτρώξ, ἀκρόχολος“ (Eq. 41). Prorsus idem Lys. 537 κυάμους τρώγων: schol. ἢ δικάζων, ἵνα μὴ κοιμηθῇς. γέρων γὰρ εἶ. Denique Av. 1022 ὁ κυάμῳ λαχὼν idem est quod κληρωθείς. Iam vero et ecclesiastae et iudices re vera κυαμοτρῶγες erant, ut ex Vespis Comici colligere possumus. Bdelycleo patri iudicaturo apportat, quibus in iusto dicasterio carebat senex v. 805:

ἰδού, τί ἔτ' ἐρεῖς; ὡς ἅπαντ' ἐγὼ φέρω
ὅσαπέρ γ' ἔφασκον, κἄτι πολλῷ πλείονα,

matulam ergo et ignem et lentem. Qua quidem lente senex, dum causa agitur, vehementer delectatur, v. 906:

φέρε νῦν, ἅμα τήνδ' ἐγχεάμενος κἀγὼ ῥοφῶ,

calorem laudat v. 918:

θερμὸς γὰρ ἀνὴρ οὐδὲν ἧττον τῆς φακῆς,

furorisque paene oblitus est iudicialis v. 982:

ἐς κόρακας· ὡς οὐκ ἀγαθόν ἐστι τὸ ῥοφεῖν.
ἐγὼ γὰρ ἀπεδάκρυσα νῦν γνώμην ἐμήν,
οὐδέν ποτ' ἄλλ' ἢ τῆς φακῆς ἐμπλήμενος.

ubi v. schol. Manifestum per se est, senes in iudiciis aliquid, quod famem pelleret, edisse. Quod quum calidum esse non posset, at coctum erat vel tostum. Itaque scholiastarum Aristophanis auctoritatem hoc loco lexicographorum, ut Hesychii s. v. διάφρυκτος: κλῆρος, κύαμος — ἀντὶ τῶν ψήφων, Etym. M. et Suidae s. v. διαφρυκτοῦν, Hesychii eiusdem s. v. κυαμοτρώξ et s. v. φρυκτός, Photii, Pollucis VIII, 18 praeferre non dubitaverim; quum absurdum mihi appareat esse, tostis fabis uti malle ad suffragia ferenda quam crudis. Tum si fabae re vera in usu fuerint, Athenienses et tostas in suum ipsorum commodum secum attulisse et crudas ad introitum dicasterii accepisse crediderim. (Cf. de fabarum religione Lobeck. Agl. p. 251 sqq.) Ceterum Pollux

VIII, 19 alia quoque calculorum genera enumerat, ut appareat, Athenienses his in rebus constantes sibi non fuisse.

Hos igitur calculos, sive lapilli fuerunt, sive conchae sive fabae, tribus digitis, ut natura rei fert, sumebant iudices. Xanthias v. 94:

ὑπὸ τοῦ δὲ τὴν ψῆφόν γ' ἔχειν εἰωθέναι
τοὺς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων ἀνίσταται.

Schol. Ven.: τούτοις γὰρ κατίσχουσι τὰς ψήφους οἱ δικασταί, τῷ μεγάλῳ, τῷ λιχανῷ καὶ τῷ μέσῳ: scilicet, quando coniecturi sunt calculum in vasculum.

Accipiebant autem, ut supra monui, calculos binos a thesmotheta eiusque ministris. In quibus vero causis suffragio opus erat duplici, iidem calculi reddebantur iudicibus, post factam numerationem, qui iisdem alterum suffragium ferrent. (Aliter Meier et Schoem. l. l. p. 725 sq.) Quod quamquam non video a quoquam traditum, tamen ita mihi apparet conveniens et consentaneum esse, ut testimoniis omnino non egeat.

Aristophanis illud: αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει recte schol. Rav. iudicat, quum dicit παίζει, ὅτι πλεῖστα ἦσαν δικαστήρια 'Αθήνησιν. Et ipsa causa canina in Vespis docet suffragandi potestatem non ita liberam fuisse, ut quivis αἰγιαλὸν calculorum secum veheret, quibus ad arbitrium posset uti. Bdelycleo enim, quum patri calculum tradat, docet patrem eo nondum instructum esse, qui tamen ceteras res ante quam causa ageretur sibi comparaverat: τοὺς καδίσκους, τὴν κλεψύδραν, alia.

XXIV. De ratione suffragii ferendi statim exponam, ubi de *triobolo,* quam mercedem pro calculis immissis senex secum domum e dicasterio fert, pauca addidero. Cuius frequens apud Comicum mentio est et heliastici et ecclesiastici. Ita coniunctim utrumque vocatur τὰ τριώβολα Av. 1541, licet schol. Rav. habeat: ἅπερ ἐλάμβανον οἱ κριταὶ οἱ ἐν ἡλιαίᾳ κρίνοντες εἰς μισθόν: et paullo ante idem ad τὸν κωλακρέτην: 'Αριστοφάνης ὁ γραμματικὸς τούτους ταμίας εἶναί φησι τοῦ δικαστικοῦ μισθοῦ. At Comicus aut τὸ τριώβολον usurpat, quod significet mercedem et heliasticam et ecclesiasticam, aut ὁ μισθός eadem

duplici significatione, aut οἱ ὀβολοί et addita et omisso obolorum numero, nonnunquam etiam ὁ ὀβολός, semel quoque cum irrisione τὸ μισθάριον; denique, quod comparaverim cum τὰ τριώβολα, οἱ μισθοί. — Trioboli igitur in octo fabulis mentio fit; Acharnenses, Lysistrata, Ranae carent. Ranae vero et ὀβολοὺς et μισθὸν habent, Acharnenses μισθούς; Lysistrata, ni fallor, nihil harum rerum. Manifesto merces iudicialis τὸ τριώβολον vocatur Vesp. 608. 690. 1121. 1128. Equit. 51. 800. 255; merces comitialis (de qua v. Fritzsch. de merc. iud. ap. Ath. p. 5 sq.) Eccles. 293. 308. 380. 392. Plut. 329; coniunctim τὰ τριώβολα Av. 1541. Ita porro, ut merces notissima et usitatissima debeat intelligi: Nub. 1235. Pac. 848. Plut. 125; ita denique, ut possit, quum vox notissima fuerit, merces subaudiri Av. 18. Thesmoph. 425. — ὁ ὀβολὸς diserte ἡλιαστικὸς dictus in Nub. 863 est; οἱ τρεῖς ὀβολοὶ in Vesp. 684. 791; ὀβολὸς ἐκκλησιαστικὸς isque unus, μόνος, in Eccl. 302. Praeterea saepius, ut par est, quum fere unicus sit vitae quotidianae nummus, vel unus, ut Nub. 118. 1250. Eq. 682. Av. 18. 503; vel duo, ut Ran. 140. 141. Vesp. 52. 1189, vel plures, ut Vesp. 1391. Ran. 177 memorantur. — Frequentissime merces iudicialis ὁ μισθὸς vocatur: Vesp. 525. 606. 661. 712. 785. 813. 1118. Equit. 803. 905. 1019. 1352; comitialis, ut videtur, Av. 1024. 1028; alio denique sensu saepius. Οἱ μισθοὶ eo sensu, ut sit merces et iudicialis et comitialis, in Ach. 657 occurrit, τὸ μισθάριον, i. e. triobolum, Vesp. 300, ἡ μισθοφορὰ de eodem triobolo iudiciali in Equit. 807, de comitiali μισθοφορεῖν est in Eccles. 188. — Ex scholiastarum notis nonnullas tantum afferam. Ac praestantissimam existimo esse ad Eq. 51: ἔχε τριώβολον: τὸν δικαστικὸν μισθόν, ἐπεὶ τριώβολον ἐλάμβανον, ὡς τοσούτου ὄντος τοῦ δικαστικοῦ νῦν καὶ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ. οὐχ ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ διώριστο, ἀλλὰ κατὰ διαφόρους καιροὺς διάφορος ἦν καὶ ὁ μισθός. Priorem scholii partem confirmat schol. Eq. 255: οἱ δὲ δικασταὶ ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν ἐτρέφοντο, τριώβολον λαμβάνοντες μισθὸν δικαστικὸν μετὰ τὸ κρῖναι: item schol. Av. 1541 supra laudatus, schol. Vesp. 389. 664. 795. Eq. 905 (ibi Comicus

quum dicat μισθοῦ τρυβλίου ῥοφῆσαι, aperte ludit verbis τρυβλίον et τριώβολον). Porro et alteram et utramque scholii ascripti partem confirmat scholiasta Rav. Nub. 862: οὐχ ἵστατο ὁ τῶν δικαστῶν μισθός: cuius auctoritate emendandus schol. Pl. 329, οὐχ ἵστατο τοῦ δικαστικοῦ (l. τοῦ δικαστοῦ s. τῶν δικαστῶν) ὁ μισθός, ἀλλὰ κατὰ καιρὸν μετέβαλλον. Sch. Vesp. 300*) cum schol. Vesp. 88 fere consentit. Sch. Ven. Vesp. 684: τοὺς τρεῖς ὀβολούς: τὸν φόρον λέγει, ἀφ' ὧν (οὗ leg.) ἐδίδοτο τὸ τριώβολον. τοῦτο δὲ ἄλλοτε ἄλλως ἐδίδοτο, τῶν δημαγωγῶν τὰ πλήθη κολακευόντων, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείαις (v. Fragm. histor. Graec. II p. 126). His igitur scholiastarum testimoniis et inprimis schol. Ran. 140: πρὸς τὸν δικαστικὸν μισθόν, ὅτι δύο ὀβολῶν ἦν, καὶ ὅτι τὸ δικαστικὸν μισθάριον δύο ὀβολοὶ ἦσαν· ἦν δὲ καὶ τριώβολον, τοῦτο τῶν στρατηγῶν (δημαγωγῶν?) κολακείας χάριν προστιθέντων. ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν, permotus Fritzschius „de mercede iudicum apud Athenienses“ triobolum ut mercedem iudicialem angustis circumscripsit limitibus. At prius quam de re ipsa sententiam proferam, de loco Aristophanis eiusque interprete dicendum est. Siquidem Vesp. 52, qui versus somniorum interpretes binos obolos mercedem accepisse docet (cf. Lobeck. Aglaoph. p. 253 not.), item si Vesp. 1189 respicimus, qui duos obolos ludis spectandis solutos esse non ita perspicue tradit (ludit enim Comicus verbo ξυνθεωρεῖν et θεωρεῖν et Πάρος, quod nec Parium oppidum nec Parum insulam esse contendo, sed e πάρος, aliquando, nomen fictum), cur poetam credamus isto Pluti loco de iudiciis cogitasse neque, de quo ipso agitur, de nautarum mercede? Nautas enim suspicor intelligendos esse, qui circa Piraei reliquorumque portuum litora versabantur, qui Athenienses Salaminem aliove traiiciebant. Quorum naulum binis obolis constitisse, et ex ipsis

*) Phrynichi versum, quem Duebnerus edidit τριώβολον ὅσον ὑπερηλιάζομαι, Meinekius Com. I, 605 correxit: τριωβόλων ὅσων ὑπὲρ (l. ὕπερ) ἡλ. Fritzschius de mercede iudicum p. 4 coniecit τριώβολον δός νυν, ὅπερ ἡλιάζομαι. In Eq. 797 est: πεντώβολον ἡλιάσασθαι, quare praestaret Hermanni τριώβολον γ' ὅσουπερ ἡλ., si scripsisset ὅσονπερ. an τριώβολον, τόσον περ vel γὰρ ἡλ.?

Comici verbis colligas, et quod moris erat, sepeliundis duos obolos in os impingere. Accedit, quod schol. ita rem explicat: ἅμα δὲ διὰ τὸ λεγόμενον, ὅτι τοῖς νεκροῖς ἐπὶ τοῦ στόματος βάλλουσι δύο ὀβολούς. Quod Graeculorum more dictum, ἐπὶ τοῦ στόματος βάλλειν, melius Lucianus de luctu c. 10 εἰς τὸ στόμα κατατιθέναι et Strabo VIII p. 583 ἐντιθέναι τοῖς νεκροῖς ναῦλον dixerunt. Apud Lucianum autem ὀβολὸν idem valere quod apud Strabonem ναῦλον crediderim, i. e. πορθμήιον (v. Suid. s. πορθμήιον, πορθμίς), neque eius verbis demonstrari, naulum uno obolo constitisse. Certe Ranarum fabulae tempore naulum duorum obolorum in usu fuisse, Comici versus docent. Etiam Etymol. M. s. v. δανάκης haec: νομίσματός ἐστιν ὄνομα βαρβαρικὸν πλέον ὀβολοῦ, ὃ τοῖς νεκροῖς ἐν τοῖς στόμασιν ἐτίθεσαν. Vocatur etiam χαρκάδων s. χαρκαδών: Suid. s. v. χαρκάδονα c. interpr. cfr. Herm. Privatalt. p. 201. Mortuorum igitur naulum quum Dionysus pendere iubeatur vivus, iure miratur, quod idem argenti amor etiam apud inferos valeat, auctoremque rei inexspectatae quaerens, Thesei nomen audit, i. e. aeque vetustam nauli memoriam atque Thesei esse comperit. — Postremo scholiasta l. l. nugatur, quum dicit: ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν: quum notissimum fuerit et usitatissimum, binos iudices unam drachmam accipere Vesp. 788, quem versum male ab ipso intellectum haud dubie recordatus est. Eodem iure τὸ πεντώβολον ex Equit. 798 mercedem iudicialem appellare potuisset. (Cfr. Boeckh. Staatsh. I, 251.) — His itaque disputatis saltem illud effecisse mihi videor, ut scholiastam Comici verba non recte explicasse veri simile sit, i. e. ut ipsius explicatio parum habeat auctoritatis, qua Ranarum fabulae tempore mercedem iudicialem non amplius triobolum sed diobolum fuisse probare possimus. Neque Pollucis (VIII, 113) verba lucis quidquam afferunt, quum, ut unum dicam, theoricum drachmam fuisse ex Harpocratione s. v. θεωρικά constet (v. Fritzsch. l. l. p. 13). His igitur adducor, ut Fritzschio hoc quidem concedam, triobolum tum in usu fuisse exponenti, quum a Comico diserte nominaretur, i. e. inde ab Ol. 88 anno 3 exeunte ad Ol. 91 usque a. 4. sive ab Equitum fere didascalia ad Avium

(l. l. p. 6), neque tamen probem eundem et Periclis et Ranarum fabulae tempore diobolum in usu fuisse contendentem (l. l. p. 10). Maxime mihi merces comitialis documento est, quae ad iudicialis mercedis exemplum constituta (cfr. Boeckh. Staatsh. I, 247) postea easdem atque illa passa est mutationes. Quae quum in Ecclesiazusarum fabula ita commemoretur, ut de triobolo comitiali dubitare non liceat, v. 309: νυνὶ δὲ τριώβολον ζητοῦσι λαβεῖν ὅταν πράττωσί τι κοινόν; (v. praeterea Eccl. 188. 293. 380) itemque in Pluti fabula 329:

δεινὸν γάρ, εἰ τριωβόλου μὲν εἵνεκα
ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τἠκκλησίᾳ,

tempore fabulae illius etiam iudicialem triobolo constitisse consentaneum est. Eosdem enim cives et iudices et concionantes fuisse saepius monui. Eandem igitur utriusque officii mercedem brevissimo temporis spatio interiecto constitutam esse, per se apparet; item mercedem iudicialem cum comitiali saepius praesertim a Graeculis confundi consentaneum est; de quo v. Boeckh. Staatsh. I, 250 et Schoemannum de comit. p. 69. Vnde sequitur, ut per totam Comici aetatem a Cleonis temporibus triobolus iusta merces iudicum fuerit; itaque Acharnensium quoque fabulae tempore fuerit, quum οἱ μισθοὶ Ach. 657 idem valeant quod τὰ τριώβολα Av. 1541. — Vtcunque se habuit res, certe ab Aristophane eiusque interpretibus non multum adiuvantur, qui in alteram partem disputaturi sunt. De initiis autem trioboli (vid. Aristot. Pol. II, 4, 11. II, 9, 3) vel potius oboli quum satis dictum sit a Boeckhio, G. Hermanno et Fritzschio (l. l.), nunc de distributione mercedis pauca addam. Non enim Fritzschio assentior dicenti (l. l. p. 6): „Nam iudices Attici finitis iudiciis vesperi ad Lyci tribunal suos quisque obolos accipiebant.“ Fac cogites, decem constituta esse dicasteria, unius cuiusque fere quingenos fuisse iudices, quomodo quaeso fieri potuerit, ut unusquisque vesperi suos obolos coram acciperet ad Lyci tribunal? (i. e. ni fallor heroum, vid. supra, ubi de tribunalium nominibus disputavimus). Quod quum per se sit immane atque ultra hominum vires, necesse est, ut repetam, quod supra proposui, ad

unumquodque dicasterium Lyci herois sacellum, atque id ad ipsum dicasterii introitum fuisse, ibique, scilicet ad introitum, colacretam iudicibus exeuntibus et symbolum tradentibus mercedem exsolvisse. Qua mercede quomodo uterentur iudices, satis declaravit Comicus in Vespis 291 sqq., quo simul indicat, Athenienses summa cum pertinacia hanc mercedem et appetisse et defendisse. Lyco porro ut heroi vesperi sacrificari fas erat, v. Lob. Aglaoph. p. 412.

XXV. Satis. Percurrimus Aristophane usi duce locum hic illic impeditum. Iam quae restant et gravissima et difficillima, qualis ipsius actionis sit, qualis causarum generum descriptio, ea post Boeckhii, Schoemanni Meierique, Hermanni aliorumque curas intacta relinquere decet. Neque multum Comicus lucis, quod quidem ad discrimen actionum attinet, affundit. Quem voce τῆς δίκης, quum multa significet, et iustitiam et ius et causam actionemque et poenam mulctamque et causam privatam publicamque, saepenumero saepiusque quam τῆς γραφῆς nomine, accusationis libellum significante, usum esse consentaneum est. Propterea ratione perquam varia nomen ἡ δίκη cum aliis nominibus et verbis coniunctum reperimus; saepissime δίκην δοῦναι (vicies), pro quo usurpatur δ. ὀφλισκάνειν (Nub. 34. 777. Av. 1437. Eccles. 656 (τινὶ παρὰ τοῖς ἄρχουσι), δ. ἐκτίνειν Eccles. 656. Porro de furore iudiciali dictum δίκας καταπίνειν Av. 1439. Ran. 1466; δ. φαγεῖν V. 1367; cui simile πράγματα καὶ δίκας ἔχειν Vesp. 1392. Iudicandi verbum usitatissimum est δικάζειν (undevicies, ni fallor), nonnunquam δικάζεσθαι Nub. 496. 1141; tum δίκας δικάζειν Vesp. 414. 801. δίκην λέγειν causam dicere Vesp. 777 et omisso verbo δίκην, ἐκδικάζειν Eq. 50; accusandi δίκην γράφεσθαι Nub. 758, διαγράφειν Nub. 774. δίκη καλεῖται Nub. 780. δ. καλεῖν Vesp. 825. 830. 1441; hinc δίκην εἰσάγειν Nub. 782. Vesp. 826; δ. διορίζεσθαι Ach. 364; actio causae δίκη ἐνεστῶσα Nub. 779; litis aestimatio τίμημα ἐπιγράφειν τῇ δίκῃ Plut. 480; damnare δ. καταγιγνώσκειν Eq. 1316; alias καταγιγνώσκειν omisso nomine δίκης; absolvendi verbum est δίκην ἀποφεύγειν Nub. 167. 1151. Plut. 1181 (inde δίκης ἀπόφευξις Nub.

874. Vesp. 562) et omisso nomine ἀποφεύγειν Vesp. 997 et ἐκφεύγειν Vesp. 157. 994; cui accedit δ. ἀποστρέφειν Nub. 776 et τὰ δίκαια ἀποτρέπειν Nub. 901; item ἡ τῆς δίκης ἀφάνισις Nub. 764. Reliqua nunc, ut verba καλεῖσθαι, γιγνώσκειν, ἀναγιγνώσκειν, pro quo Comicus ἀναμασᾶσθαι, φεύγειν, διώκειν, διωκαθεῖν, γράφεσθαι, γράφειν (Av. 1052), ἕλκειν, omisso δίκην abhibita praetereo.

Multo rarius ἡ γραφὴ a Comico usurpatur. Ac libelli quidem sensu dicitur Vesp. 804. 907, addito γράφεσθαι verbo; item Nub. 1481 γραφὴν γραψάμενος διωκάθω, schol. κατηγορήσω, διώξω; tum γραφὴν εἰσάγειν ut δίκην εἰσάγειν Vesp. 842; γραφὰς φεύγειν τέτταρας, i. e. accusari quater Equit. 442, schol. κατηγορηθήσῃ δίκας. ἐμβάλλειν εἰς γραφάς, litibus implicare scil. diiudicandis et aestimandis Ach. 679, schol. ἀντὶ τοῦ εἰς δικαστήρια καὶ κατηγορίας. Deinde αἱ γραφαὶ omisso verbo Eq. 307, loco memorabili, quo tanquam partes rei publicae singulae enumerantur: — τοῦ σοῦ θράσους

πᾶσα μὲν γῆ πλέα, πᾶσα δ' ἐκκλησία,
καὶ τέλη καὶ γραφαὶ καὶ δικαστήρια:

item Ach. 714, schol. τὰς δίκας. Denique τὰς γραφὰς Vesp. 848, schol. explicat τὸ γραφεῖον, de quo versu v. supra. Hinc vero perspicuum fit, quo iure Pollux VIII, 41 dixerit: ἐκαλοῦντο αἱ γραφαὶ καὶ δίκαι, οὐ μέντοι καὶ αἱ δίκαι γραφαί: nimirum quum prius per se pateat, posterius apud poetas certe non valuit, Comico ipso docente Eq. 308. 442. Ach. 714. 679 etc., quibus locis quum de omni causarum genere agatur, pro δίκαι γραφαὶ dictum esse apparet. Itaque Comicus causarum divisionem talem, qualem Polluce potissimum auctore (VIII, 31. 40) recentiores probarunt omnes, saltem neglexit.

Iam eo perveni, ut paucis de causa canina, quam dixi, additis finem faciam huius capitis. Cuius causae descriptio a v. 805 incipiens primum omnes enumerat res, quae ad dicasterium legitimum pertinent; tum a versu 894 ipsam causae actionem enarrat usque ad v. 1008. κἄτι πολλῷ πλείονα, ut Bdelycleo ait, praesto: ἀμίς 807, qua Comicus docet, iudices dicasterium

interdum relinquere stranguria coactos esse, φακῇ 811, qua docemur, eosdem nonnunquam etiam fame vexatos esse (v. 777 οὐχὶ πεινῶν ἀναμενεῖς δάκνων σεαυτόν), quum ante causam finitam foro discedere non liceret; ὄρνις gallus 815, qui dormiturientem cantu excitet, unde discimus, senes non ita raro somno sopitos esse. Iam post haec ea demum comparantur, quae ad rem faciunt. Non enim Bdelycleo praeter illas res et Lyci simulacrum quidquam protulit. Itaque pater cancellos arcessit, nimirum cancellorum loco suile vimineum χοιροκομεῖον 844. His ante fores ad ipsam domus ianuam positis pater satis habet apparatus. Tum vero filius multa affert, quasi patris studio commonefactus, τὰς σανίδας, τὰς γραφάς, quibus pater supersedere mavult 849. 850; τοὺς καδίσκους, quorum loco pater ἀρυστίχοις, cotylis, usurus est 855; τὴν κλεψύδραν, cuius loco pater εὖ κἀπιχωρίως 859 aut matulam monstrat aut mentulam significat. Constituto in hunc modum foro, ignem et myrtos et thus servus aliquis domo effert, votaque fiunt diis: v. 860—890. His igitur votis unumquodque iudicium quasi inaugurabatur. Quibus finitis Bdelycleo, qui thesmothetae officium explet, v. 891:

εἴ τις θύρασιν ἡλιαστής, εἰσίτω,
ὡς ἡνίκ' ἂν λέγωσιν, οὐκ εἰσφρήσομεν.

Impatiens morae avidusque iudicandi senex statim: τίς ἄρ' ὁ φεύγων; itaque exordium capit actio.

Iam fingas tibi forum in hunc fere modum. Senex ad murum aulae assidens, ita ut dextrum corporis latus ostenderet spectatoribus, τὸ χοιροκομεῖον ad dextrum hoc latus collocavit, sinistri munimentum murus suppeditat, tertium e regione sedentis latus idem χοιροκομεῖον tuetur, quartum a tergo iudicis latus apertum est. Matula de muro pendet, lens dextrorsum apposita, οἱ καδίσκοι diversis locis ab latere collocati, Lyci simulacrum iuxta matulam. Iam quod ante iudicem est fori spatium reus, accusator, testes, defensores implent. Quos omnes puto, quum in legitimo iudicio aut ab initio adfuerint aut singulari via, iudicum illi opposita introierint, in hac Comici imitatione eadem cum iudice via introisse. Extra cancellos populus

auditor est, a servo repraesentatus. Dem. κατὰ Ἀριστογ. α′ p. 799 θεωρήσουσι δ' ὑμᾶς οἱ περιεστηκότες καὶ ξένοι καὶ πολῖται. Verum tamen utrum Philocleo, dum intrant, locutus sit verba τίς ἄρ' ὁ φεύγων; an adstantes coram examinaverit, dubito. Neque hoc magni momenti. Certe ita distinguenda sunt verba, ut e. g. apud Bergkium est, ut Philocleoni interroganti Bdelycleo respondeat: οὗτος, tum senex qui semper τιμᾶν βλέπει, causa nondum cognita exclamet: ὅσον ἁλώσεται! — Iam Bdelycleo scribae quoque publici munus suscipiens accusationis libellum recitat 894—898; et reum simul et accusatorem producit ostenditque iudicibus. Quod sine dubio e quotidiana consuetudine sumtum, neque abhorret quod senex garrulus et fervidus continere se non potest, quin multa minetur, quin tumultuetur. Notum enim in vulgus est, oratores saepissime a iudicibus petisse, tumultum ne facerent (μὴ θορυβῆσαι). Itaque Philocleo a filio thesmotheta silentium agere iubetur, quod in actionibus publicis privatisque saepenumero factum esse consentaneum est, v. 905:

σίγα, κάθιζε· σὺ δ' ἀναβὰς κατηγόρει.

Dum accusator a thesmotheta iussus tribunal ascendit, i. e. coram iudice consistit accusaturus, hic lentem sibi infundit. Simile quid iudices χυαμοτρῶγας fecisse, supra vidimus. Accusator, canis Cydatheniensis, cuius vices Xanthias agit, incipit v. 907, mox a iudice interruptus, et acclamante et in se peccatum esse clamante v. 918. Hic interpunxerim sic:

Phil. οὐδὲν μετέδωκεν; οὐδὲ τῷ κοινῷ γ' ἐμοί;

Xanth. θερμὸς γὰρ ἀνὴρ — Ph. οὐδὲν ἧττον τῆς φακῆς.

Orat Bdelycleo, ut altera pars audiatur; iudex nihil nisi τιμᾶν βλέπει. Oratione finita de suffragio nullus dubitat. Gallum desuper stantem rogat, videt annuentem. At videt simul matulam prope gallum pendentem; clamat thesmothetam, qui eam porrigat v. 935. Ex quo collegerim, iudices, dum quis loqueretur, foro exire prohibitos esse, tum vero thesmotheta inspiciente eos et exiisse et intra certum temporis spatium rediisse. Per istud vero tempus et cancelli et Lyci sacellum undique irrigabantur. — Citantur testes a thesmotheta, hic, ut apparet, post finitam ora-

tionem; ut vero ex oratoribus novimus, in media oratione, quum orator iubet, citantur. Dum hi audiuntur, iudex etiam atque etiam matula utitur. Fortasse igitur iudices testes audire non amabant, ne dicam non consuerant. Nunc autem Bdelycleo defensoris partes agit v. 949. Labetem defensurus a patre saepe interrumpitur; testis citatus mendacii arguitur. Tandem filius defensor misericordiam iudicis implorans, virtutes rei collaudando efficit, ut aliquantum mollescat v. 973. Quod quum viderit filius, liberos rei ascendere iubet et lacrimare et obsecrare. His Philocleo, ut videtur, commotus: Descende, clamat, istud Descende, de quo Bdelycleo statim v. 980:

καίτοι τὸ κατάβα τοῦτο πολλοὺς δὴ πάνυ
ἐξηπάτηκεν.

Apparet istud κατάβα a quovis iudice exclamari potuisse, aut a multis una, ut tandem aliquando ad suffragium ferendum possent pervenire; apparet quoque, reos hoc κατάβα saepenumero deceptos esse, quod iudices esurientes et trioboli potius quam causae memores cum specie quadam misericordiae pronunciabant. Vnde fit, ut aeque celeriter istius misericordiae obliviscantur. Itaque Philocleo statim post defensoris καταβήσομαι imprecatur: ἐς κόρακας, lentemque sive potius ventrem plenum incusat, quod aliquam benignitatis speciem in se genuerit. Exsurgit reum damnaturus. Filius calculum damnatorium patri tradit orans, ut eum connivens in posteriorem urnam coniiciat, reumque absolvat v. 986. 987. Posterior autem urna, ὁ ὕστερος καδίσκος, sive ὁ ἄκυρος is est, quem paullo ante sinistrum appellavi, is scilicet, qui iuxta murum stat. Quod quum pater nolit, filius eum ad alteram urnam, ut ait, circumducturus, videlicet ad priorem, quae propius spectatores in dextro latere posita est, quasi concedat patri, ut reus damnetur: filius igitur patrem ita circumducit, ut ὁ ἄκυρος καδίσκος nunc ad dextram manum sit. Quare senex deceptus rogat: ὅδ' ἔσθ' ὁ πρότερος; v. 990, quod, quum re vera ad dextram sit, filius potest confirmare. Tum denique calculum aut perforatum aut nigrum in urnam, quam κυρίαν habet, immittit reumque absolvit. Iam per se patet, aut iudicem

aut iudicis loco thesmothetam alterum quoque calculum, τὴν πλήρη ψῆφον, τὴν λευκήν, in alteram urnam demisisse. Quod quidem non amplius Comicus verbo exprimi iubet, quemadmodum Philocleonem, dum filius loquitur ad servos,

ἐξηπάτηται κἀπολέλυκεν οὐχ ἑκών,

aut denuo assidere aut se convertisse ad filium suspicari nos debemus. Patre igitur coram adspiciente filius quaerit: φέρ' ἐξεράσω; (in editionibus puncti signum est, quod mutavi) v. 993. Cui pater ut festinet imperat quaerendo

πῶς ἄρ' ἠγωνίσμεθα;

Filius, nunc rursus thesmothetae munere fungens, urnam priorem, τὸν κύριον καδίσκον, cui calculus albus aut plenus immissus est, evertit, calculumque absolutorium humi effundit. Reus absolutus est, iudex lamentatur deosque precatur, ut sibi ignoscant v. 1001:

ἀλλ' ὦ πολυτίμητοι θεοί, ξύγγνωτέ μοι!
ἄκων γὰρ αὔτ' ἔδρασα κοὐ τοὐμοῦ τρόπου.

Suffragium, quantum equidem colligere possum, occultum fuit. (Cfr. Lysias κατὰ Ἐρατοσθ. p. 446. Lycurg. κατὰ Λεωκρ. p. 239. 240. 241.) Filius enim, qui nihil nisi illud efficere cupit, ut pater aliquando reum absolvat, prorsus diversa ratione uti debet a more quotidiano, ut triginta tyrannorum facinus et novum et inauditum fuit, Xen. Hellen. I, 7, 9. Itaque patri modo alterum in manum tradit calculum, ac persuadendo primum, deinde dolo eum cogit ad ipsius arbitrium ut calculum demittat. Quod quidem longe aliter usu venit, quum uterque calculus iudici traditus est. Accedit, quod ὁ κημός, de quo supra egimus, suffragium occultum reddit. Postremo ipsa verba φέρ' ἐξεράσω; et πῶς ἄρ' ἠγωνίσμεθα; luculenter confirmant, suffragium occultum fuisse. Vnus est iudex, unum suffragium; nihilominus Philocleo putat se damnasse, Bdelycleo scit eum absolvisse; utrum verum sit, numeratis calculis manifestum fit. Quod vero pater putat, se filio invito et nescio calculum damnatorium demisisse, pro certissimo mihi est argumento, et suffragium occultum fuisse et huius rei documentum optimum esse ipsam hanc causam caninam, de qua modo egimus.

Ecce, rediit oratio, unde digressa est; qua si id effecero ut Schoemanno aliquantum persuadeam, Aristophanem optimum, immo unicum in his rebus ducem esse, operae pretium fecisse videbor. Vnum superest, ut viri praestantissimi etiam de hac re, scil. „de iudiciorum suffragiis occultis“, commentationem egregiam Opusc. acad. I p. 260 sqq. commemorem, qua, ut reliquis omnibus eiusdem scriptionibus, multum me adiutum esse cum gaudio fateor.

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ ΣΦΗΚΕΣ.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Φιλοκλέων Ἀθηναῖος, φιλόδικος ὢν τὴν φύσιν, ἐφοίτα περὶ τὰ δικαστήρια συνεχῶς. Βδελυκλέων δὲ ὁ τούτου παῖς ἀχθόμενος ταύτῃ τῇ νόσῳ καὶ πειρώμενος τὸν πατέρα παύσειν, ἐγκαθείρξας τοῖς οἴκοις καὶ δίκτυα περιβαλὼν ἐφύλαττε νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν. ὁ δὲ ἐξόδου αὐτῷ μὴ προκειμένης ἔκραζεν. οἱ δὲ συνδικασταὶ αὐτοῦ σφηξὶν ἑαυτοὺς ἀφομοιώσαντες παρεγένοντο βουλόμενοι διὰ ταύτης τῆς τέχνης ὑποκλέπτειν τὸν συνδικαστήν· ἐξ ὧν καὶ ὁ χορὸς συνέστηκε καὶ τὸ δρᾶμα ἐπιγέγραπται. ἀλλ' οὐδὲν ἤνυον οὐδὲ οὗτοι. πέρας δὲ τοῦ νεανίσκου θαυμάζοντος τίνος ἕνεκα ὁ πατὴρ οὕτως ἥττηται τοῦ πράγματος, ἔφη ὁ πρεσβύτης εἶναι τὸ πρᾶγμα σπουδαῖον καὶ ἀρχὴν τὸ δικάζειν. ὁ δὲ παῖς ἐπειρᾶτο τὰς ὑποψίας

Argumentum in Ravennate, ut Invernizzius monuit, turpissimis versibus scriptum exstat; idem in Veneto et Brunckiano C. De ΓΔ tacent editores. Ex impressis idem continent Aldina, Iuntina, Frobeniana, Genevensis, Kusteriana, recentiores, excepta Hirschigiana.

v. 1. φιλόδικος R. V. φιλοδικαστής ante Invern. vulgo.

ibid. περὶ τὰ δικ. R. V. Inv., antea εἰς δικ.

v. 3. παύσειν R. vulgo, παύειν V. Dind. Bergk. παῦσαι Kust. Brunck.

v. 5. προκειμένου R. sec. Inv. ἑαυτῶι μὴ προκείμενον R. sec. Bekk. προκειμένης corr. Kust. περικειμένης antea vulgo.

ibid. αὐτοῦ ante σφηξὶν R. Ald. Inv. Bekk. sch. Paris. Dind. in Oxon., om. Iunt. Frob. Kust. Brunck. Dind. in Lips.

v. 6. ἑαυτοὺς Inv., αὐτοὺς antea vulgo.

v. 8. ἤνυον R. sec. Bekk.

v. 10. εἶναι ante τὸ πρ. om. R. Inv. τὸ πρᾶγμα εἶναι scholl. Paris. Bergk.

v. 11. σχεδὸν om. R. Inv., qui ἀρχὴν, quod rec. Dind. in Oxon. Bergk. σχεδὸν ἀρχῆς vulgo.

ἐξαίρειν τοῦ πράγματος, νουθετῶν τὸν γέροντα. ὁ δὲ πρεσβύτης μηδαμῶς νουθετούμενος οὐ μεθίει τοῦ πάθους· ἀλλ' ἀναγκάζεται ὁ νέος ἐπιτρέπειν αὐτῷ φιλοδικεῖν, καὶ ἐπὶ τῆς οἰκίας τοῦτο ποιεῖ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν οἰκίαν δικάζει. καὶ δύο κύνες ἐπεισάγονται πολιτικῶς παρ' αὐτῷ κρινόμενοι· καὶ κατὰ τοὺς φεύγοντας ἐκφέρειν συνεχῶς τὴν ψῆφον μέλλων ἀπατηθεὶς ἄκων τὴν ἀποδικάζουσαν φέρει ψῆφον. περιέχει δὲ καὶ δικαιολογίαν τινὰ τοῦ χοροῦ ἐκ τοῦ ποιητοῦ προσώπου, ὡς σφηξὶν ἐμφερεῖς εἰσὶν οἱ τοῦ χοροῦ, ἐξ ὧν καὶ τὸ δρᾶμα. οἳ ὅτε μὲν ἦσαν νέοι, πικρῶς ταῖς δίκαις ἐφήδρευον· ἐπεὶ δὲ γέροντες γεγόνασι, κεντοῦσι τοῖς κέντροις. ἐπὶ τέλει δὲ τοῦ δράματος ὁ γέρων ἐπὶ δεῖπνον καλεῖται, καὶ ἐπὶ ὕβριν τρέπεται, καὶ κρίνει αὐτὸν ὕβρεως ἀρτόπωλις· ὁ δὲ γέρων πρὸς αὐλὸν καὶ ὄρχησιν τρέπεται, καὶ γελωτοποιεῖ τὸ δρᾶμα.

Τοῦτο τὸ δρᾶμα πεποίηται αὐτῷ οὐκ ἐξ ὑποκειμένης ὑποθέσεως, ἀλλ' ὡσανεὶ γενομένης. πέπλασται δὲ τὸ ὅλον. διαβάλλει δὲ Ἀθηναίους ὡς φιλοδικοῦντας, καὶ σωφρονίζει τὸν δῆμον ἀποστῆναι δικῶν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοὺς δικαστὰς σφηξὶν ἀπεικάζει, κέντρα

v. 13. τοῦ πάθους R. Inv. recc. τοῦ πράγματος vulgo ante Brunckium, qui τὸ πρᾶγμα sec. C.

v. 14. αὐτῷ ante φιλοδικεῖν om. R. sec. Inv., habet sec. Bekk. αὐτῷ φιλοδ. vulgo; sed om. Dind. in Oxon. Bergk.

ib. καὶ ἐπὶ τῆς οἰκίας τοῦτο ποιεῖ R. Inv. Bekk. recc. — μόνον τοῦτο ποιεῖν vulgo ante Brunckium, qui τοῦτο ποιεῖν μόνον.

v. 15. τοῖς κ. τ. οἰ. δικάζει R. Inv. Bekk. recc. τοὺς—δικάζειν antea vulgo.

ibid. πολιτικῶς om. R. sec. Inv. et V.; habet R. sec. Bekk. πολιτευτικῶς antea vulgo. om. Dind. in Lips.

v. 16. ἐκφέρει R. omissis συνεχῶς et μέλλων — φέρει ψῆφον; ita Inv. τὴν καταδικάζουσαν ἅμα vulgo, τὴν ἀποδικάζουσαν φέρει ψῆφον Brunck. recc.

v. 18. τοῦ ποιητοῦ ἐκ τοῦ ποιητικοῦ (ποιητοῦ V.) προσώπου, ὡς σφηξὶν ἐμφερεῖς εἰσιν οἱ τοῦ χοροῦ R. V. Inv. τοῦ χοροῦ ἐκ τ. ποιητικοῦ πρ., διὰ τὸ σφ. ἐ. ἐ. τοὺς τοῦ χοροῦ vulgo. ἐκ τοῦ ποιητοῦ κρ. sec. C. Brunck. Bekk. χοροῦ et ποιητοῦ, reliqua ut R. V. Dind. Bergk.

v. 23. ἀρτόπωλις R. V. Kust. Brunck. Inv. recc. ἀρτοπώλης Ald. Iunt.

v. 24. γελωτοποιεῖ R. V. Inv. recc. γελοιοποιεῖ antea vulgo.

v. 28. δικῶν R. V. Iunt. Kust. recc. τῶν δικῶν Ald. Bekk.

ib. διά τι τοῦτο καὶ R. sec. Inv. διά τοι τοῦτο καὶ R. sec. Bekk. Dind. in Oxon. διὰ τὸ τοιοῦτο Ald. Iunt. Kust. καὶ διὰ τοῦτο καὶ Brunck. Bergk. Dind. in Lips. T. καὶ διά τοι τοῦτο καὶ ed. schol. Paris.

ibid. ἀπεικάζει R. V. Inv. recc. εἰκάζει antea vulgo.

ἔχουσι καὶ πλήττουσι. πεποίηται δ' αὐτῷ χαριέντως. ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμυνίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπιάδι β' ἤν, εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι, Λευκῶν Πρέσβεσι Γ.

v. 29. πεποίηται R. add. Inv. recc. ante vulgo omissum.

v. 30. sqq. Exhibui lectionem R. V. cf. Prol. cap. I.

v. 30. βηι εἰς V. Ὀλυμπιάδος R. sec. Inv.

Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ. Σφηκῶν ὑπόθεσις διὰ στίχων ἰάμβων.

Φιλοῦντα δικάζειν πατέρα παῖς εἴρξας ἄφνω
αὐτός τ' ἐφύλαττεν ἔνδον οἰκέται θ', ὅπως
μὴ λανθάνῃ, μηδ' ἐξίῃ, διὰ τὴν νόσον.
ὁ δ' ἀντιμάχεται παντὶ τρόπῳ καὶ μηχανῇ.
εἶθ' οἱ συνήθεις καὶ γέροντες, λεγόμενοι
σφῆκες, παραγίνονται βοηθοῦντες σφόδρα
ἐπὶ τῷ δύνασθαι κέντρον ἐνιέναι τισὶ
φρονοῦντες ἱκανόν. ὁ δὲ γέρων τηρούμενος
συμπείθετ' ἔνδον διαδικάζειν καὶ βιοῦν,
ἐπεὶ τὸ δικάζειν κέκρικεν ἐκ παντὸς τρόπου.

Argumentum metricum etiam in Cratandri editione exstat. Iuntina a. 1540 neutrum exhibet.

v. 2. αὐτός et οἰκοῦντά γ' vulgo. Bekkerum sequuti sunt Dind. in Oxon. Paris. Bergk.

v. 7. ἱέναι vulgo ante Bekkerum et Invern., qui in reliquis quamquam aliorum aversatur ineptias, tamen ipse in ineptiis, saltem in versibus ineptis versatur.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΣΩΣΙΑΣ } οἰκέται Φιλοκλέωνος.
ΞΑΝΘΙΑΣ }
ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.
ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.
ΧΟΡΟΣ ΓΕΡΟΝΤΩΝ ΣΦΗΚΩΝ.
ΠΑΙΔΕΣ.
ΑΡΤΟΠΩΛΙΣ.
ΚΑΤΗΓΟΡΟΣ.

In Aldina et Iuntina, i. e. ante Kusterum, catalogus personarum hic:

Οἰκέται δύο Σωσίας.	Ξανθίας.	Βδελυκλέων.
Φιλοκλέων.	Χορὸς γερόντων σφηκῶν.	Παῖδες.
Κύων.	Κῆρυξ.	Κυδαθηναιεύς.
Θεσμοθέτης.	Γυνὴ ἀρτοπῶλις.	Ἀνήρ τις Εὐριπίδης.
Κατήγορος.		

Kusterus Κύων quidem et Κυδυθηναιεὺς coniunxit, sed addit ἕτερος Κατήγορος et Θεράπων Φιλοκλέωνος; XIV igitur nomina exhibet; ad IX rediit Brunck., qui Cani tamen locum concessit ut recentiores fere omnes. Dindorfius in Oxoniensi sola Chaerephontem, κωφὸν πρόσωπον adiecit; nos cane religato tantum VIII nominibus contenti fuimus. In R. V. deest κύων, quo nunc loco in plerisque latrat; sed pro ἀνήρ τις κατήγορος in fine catalogi uterque praebet συμπότης. κυδαθηναιεὺς κύων, utrumque aperte ex ipsa fabula fictum. Praeterea uterque ad Σωσίας et Ξανθίας addit οἰκέται β'; pro γερόντων habent ἐκ γ.

ΣΦΗΚΕΣ.

ΣΩΣΙΑΣ. ΞΑΝΘΙΑΣ.

ΣΩΣΙΑΣ.

Οὗτος, τί πάσχεις, ὦ κακόδαιμον Ξανθία;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

φυλακὴν καταλύειν νυκτερινὴν διδάσκομαι.

v. 1. Οὗτος, τί πάσχεις; Frequenter haec verba apud Comicum occurrunt de statu hominis quodam, quem quidem animadvertimus, cuius tamen caussam nondum satis intelligimus. Ita Avib. 1044 legis lator a Pisthetaero male mulcatus clamat: οὗτος, τί πάσχεις; i. e. was ficht dich an, was fällt dir ein? Lys. 880 Cinesias matri immisericordi: αὕτη, τί πάσχεις; Cf. Nub. 662. 708. 814. Pac. 322. 383. Etiam sine interrogandi signo hunc sensum habet Pac. 446. 696. Contra quum interrogatur πῶς ἔχεις; ut Eq. 7, statum eius, qui interrogatur, ignoramus. — Ceterum ad verba compara Nub. 732: οὗτος, καθεύδεις; quod idem dicit Cratinus ap. Apollon. de pronom. p. 285 Bekk. Mein. C. II p. 51. Bergk. Rel. C. p. 274; infra v. 395: οὗτος, ἐγείρου, similia. — κακόδαιμον, ut de omnibus fabularum personis dici iusserit poeta, maxime tamen de servis, credo, quod servi sunt, usurpatur, cf. Eq. 7. Ran. 33. 196.

v. 2. φυλακὴν καταλύειν et negligere est vel dissolvere custodiam dormiendo, schol. ἀποκοιμηθῆναι, et profugere ex custodia, schol. καταλιπεῖν τὴν τάξιν. Auctore Aristotele Pol. V, 8, quem post Berglerum editores laudarunt, verbo φυλάττειν oppositum est, i. e. negligentem vel socordem in custodiendo esse, tum: custodiae tempus negligentia, i. e. sopore consumere. Iam vero, quum καταλύειν ii dicantur, qui post diei iter ad cauponem devertuntur, eodem sensu nunc verbum uti dixerim, i. e. ex custodia nocturna quieti se dare. Quod quum Xanthias ante tempus periclitetur, speciemque dormiturientis praebeat, διδάσκομαι, ait expergefactus, doceo memet, disco; ut Nub. 111. 194. Eq. 401. Plut. 473.

ΣΩΣΙΑΣ.

κακὸν ἄρα ταῖς πλευραῖς τι πρῲ 'φείλεις μέγα.
ἆρ' οἶσθά γ' οἷον κνώδαλον φυλάττομεν;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἶδ'· ἀλλ' ἐπιθυμῶ σμικρὸν ἀπομερμηρίσαι.

ΣΩΣΙΑΣ.

σὺ δ' οὖν παρακινδύνευ', ἐπεὶ καὐτοῦ γ' ἐμοῦ
κατὰ τοῖν κόραιν ἤδη τι καταχεῖται γλυκύ.

v. 3. προὔφειλες R. V. vulgo. προὐφείλεις Emsl. Eur. Heracl. 241. Dind. Hirschig. Bergk. Scripsi πρῲ 'φείλεις: utrumque verbum Comico usitatum. Nub. 546: ζητῶ 'ξαπατᾶν.

v. 4. οἶσθά γ' οἷον R. V. vulgo. οἶσθ' οἷον B. Δ., unde Elmsl. Ach. 481 οἶσθ' οἷον τὸ κν. Sed articulo facile carere possumus post οἷον. An οἶσθ' ὁποῖον? ποῖον enim in interrogatione quae dicitur obliqua Noster fere nusquam adhibuit. οἶσθας οἷον C. Brunck. Conz. De forma οἶσθας, quam utique barbaram atque etiam forma οἶδας multo sequiorem esse puto, cf. Hesych. s. v. Eustath. ad Od. XV, 20 p. 1773, 27. Pierson. Moer. p. 283. Mein. Men. p. 122, Com. IV p. 14. 174. Dobraeum ad Eq. 1066. Sunt tamen, qui patrocinentur formae, ut Bentleius et A. Nauckius, qui eam restituit Eur. Iph. Taur. 814 et Alcest. 780; idem Eur. Hel. 587 et Heracl. 65 exhibet ἤσθας sec. Ael. Dionys. ap. Eustath. l. l.

v. 6. αὖ R. Iunt. οὖν P. vulgo. An σὺ μὲν οὖν? Pro καὐτοῦ γ' ἐμοῦ Dind. scribi καὐτοῦ γέ μου mavult.

v. 7. ὕπνου R. V. (ὕπνιον R. sec. Inv.) Bekk. Dind. Hirsch. Bergk. ed. I.

v. 3. ταῖς πλευραῖς: latera sunt et tergum servorum, quae vapulant Vesp. 1293. Ran. 747. Av. 985. — προὐφείλεις, quod schol. legisse apparet, sign. ante tempus debere, i. e. ante diem; nam interdiu servi et peccare solent et vapulare. Quod etiam melius significatur, quum legimus: πρῲ 'φείλεις.

v. 4. κνώδαλον: de homine dictum monstrum, Ungethüm, significat. Varia ab Etymologo, Suida, Hesychio, schol. Homeri, Nicandri proferuntur etyma, quae nunc praetermitto. Possit etiam a κνώσσειν derivari, quo aquae per nares belluarum marinarum effusae strepitus reddatur: Schnarchthier. Cf. Lys. 476. Cratin. ap. schol. Av. 766, Mein. C. II p. 152.

v. 5. ἀπομερμηρίσαι: schol. R. μέρμηρα — ὁ πρὸς ἕω ὕπνος. V. καὶ πρὸς τὸν ὄρθρον δὲ γίνεταί τις ὕπνος ἐν ταῖς ἐπιστάσεσιν ἐλαφρός, ὃν τούτῳ τῷ ὀνόματι καλοῦσι. Phryn. B. An. p. 28, 4: μέρμηρα ἡ εἰς ὕπνον καταφορά. Ita nos, animum somno relaxaturi, dicimus: sich inwendig beschauen, i. e. cum curis tacite colloqui. Quae ut somno sopiunt, ita propellunt somnum vetantque nos ut Agamemnonem illum ὕπνου δῶρον ἑλέσθαι (cf. Eustath. ad Il. X, 519 p. 821, 56).

v. 6. Ad σὺ δ' οὖν vid. Krügeri Gr. Gr. § 69, 52; eundem ad Xenoph. An. I, 2, 12. 3, 5. II, 4, 6. V, 6, 11. Plat. Apol. p. 17 a; infra v. 764. 1154.

v. 7. Praetuli ἤδη, quum v. 9 ser-

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἀλλ' ἦ παραφρονεῖς ἐτεὸν ἢ κορυβαντιᾷς;

ΣΩΣΙΑΣ.

οὔκ, ἀλλ' ὕπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

τὸν αὐτὸν ἄρ' ἐμοὶ βουκολεῖς Σαβάζιον.
κἀμοὶ γὰρ ἀρτίως τις ἐπεστρατεύσατο,
Μῆδός τις, ἐπὶ τὰ βλέφαρα νυσταχτὴς ὕπνος·
καὶ δῆτ' ὄναρ θαυμαστὸν εἶδον ἀρτίως.

ΣΩΣΙΑΣ.

κἄγωγ' ἀληθῶς οἷον οὐδεπώποτε.

ἤδη Brunck. Conz. Bergk. ed. II et ante Brunck. vulgo. Varie locum tentaverunt Batavi, Mnemos. I p. 423—428: ὑπνιόν τι Cobet. cum Invernizio, ὕπαρ τι Geel.

τοῖν κόραιν Hirschig. cf. Cob. Var. Lect. p. 70. ταῖν κ. vulgo.

v. 8. ἢ vulgo. ἦ Bergler, Dind. Hirsch. Bergk.

v. 11. ἐπεστρατεύσατο R. Bekk. Dind. Pors. Elmsl. Ach. 127. Hirsch. Bergk. τις ἐπεστρατεύσατο V. vulgo. Eng. Lys. Pr. XXI.

τις ἐστρατεύσατο Reisig. Ien. L. Z. 1817 p. 404, Coni. p. 81. 254, praeunte Valckenario ad Eur. Phoen. 292.

vus dicat, quid sit dulce illud solatium, oculis suis offusum. Iam eundem, ubi v. 7. eloquutus est, somno sopitum repente esse existima, eundem capite et corpore toto nutantem tanquam ebrium. Itaque temporis aliquid intermissum esse oportet, antequam servus alter alterum, qui modo loquebatur, suis verbis expergefacit. Immo Xanthiam quoque obdormivisse putes, et utrumque aliquantillum temporis tacuisse; tum hunc prius expergefactum, quum Sosiam nutantem conspicaretur corpusque sursum deorsum moventem, rogasse miratum: ἀλλ' ἦ παραφρονεῖς etc.

v. 8. κορυβαντιᾷς: Non Corybantum instar servus se gessisse concedit, sed Dionysia celebrantium. Quare respondet: ὕπνος μ' ἔχει ἐκ Σαβαζίου. — παραφρονεῖν fere idem valet quod κορυβαντιᾶν, quod propter schol. R. V. moneo, insulsa narrantem. Nos fere ita: X. Bist du verrückt oder bist du verzückt? S. Bewahre, ich nicke bloss mein Räuschchen aus. Itaque schol. v. 9 nugatur: παίζει δέ, ὡσεὶ ἔλεγε, βάρβαρός τις καὶ σκληρὸς ὕπνος. Cf. schol. v. 119. Ruhnk. ad Tim. p. 119.

v. 10. βουκολεῖς: τρέφεις. v. Eccl. 81. Comparare possis nostrum: das Bett hüten.

v. 11. Μῆδος: schol. ἢ πρὸς τὸ Σαβάζιος (Διόνυσος Thracum) εἶπε καὶ οὗτος τὸ Μῆδος, ἢ ἀντὶ τοῦ ἐχθρός. — Peregrinis enim nominibus utuntur. Verum etiam sonorum lusum hic deprehendas, quasi Σαβάζιος sit ὁ πολλὰ βάζων et Μῆδος ὁ μηδόμενος. Ceterum videtur posterius esse, ut supra dicto ἀπομερμηρίσαι respondeat. Vigilia enim longinqua ad meditandum pari-

ἀτὰρ σὺ λέξον πρότερος.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἐδόκουν ἀετὸν
καταπτάμενον εἰς τὴν ἀγορὰν μέγαν πάνυ
ἀναρπάσαντα τοῖς ὄνυξιν ἀσπίδα
φέρειν ἐπίχαλκον ἀνεκὰς ἐς τὸν οὐρανόν,
κἄπειτα ταύτην ἀποβαλεῖν Κλεώνυμον.

ΣΩΣΙΑΣ.

οὐδὲν ἄρα γρίφου διαφέρει Κλεώνυμος.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

πῶς δή;

ΣΩΣΙΑΣ.

προσερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγων,

v. 15. αἰετὸν R. V. vulgo ante Brunckium.

v. 16. καταπτάμενον R. V. vulgo. καταπτόμενος Brunck. Hirschig. addens: „Talia quae tirones fugere vix possunt, non curiose annotabo". Cob. V. L. p. 305: „In comoedia ἐπτόμην locum habet, ἐπτάμην, ubi supra soccum oratio adsurgit". Habes igitur cothurnum servi somnium narrantis miraculosum. De reliquis verbi formis vide Cobetum l. l. multa praecipientem, demonstrantem pauca, et p. 265. — προσέπταντο Ach. 865. — εἰς V. ἐς ante Dind. et Bekk. vulgo. Talia equidem posthac non curiose annotabo.

v. 21. Hirschigius et Bergkius, Bentleium sequuti, inter Xanthiam et Sosiam distribuerunt, quod antea Sosiae erat. — πᾶς δὴ, unusquisque, pro πῶς δή; Reiskius.

ter atque ad dormitandum nutandumque impellit utrumque. Ad νυσταχτής comp. Av. 639. Xenarch. ap. Athen. XV, 693 b. Mein. C. III p. 616. — Μῆδος autem quum dixerit, aptissimum est ἐστρατεύσατο, ad quod v. Bergler. bene comparavit Eur. Med. 1125. Hipp. 525. Ceterum repetitum τις et ἀρτίως egregie statum dormiturientis suasque cogitationes aegre pronunciantis depingit.

v. 15 sqq. ἐδόκουν. Somnium arte eximia fictum. Primum illud ex rei maxime natura, quod aquilam in hominem conversam sibi visam dicit, nam in somnis somniorum εἴδωλα ἀμαυρά subito in omnes abeunt et convertuntur formas; tum vero, quod Xanthias, qui stationem libenter relicturus aut dormiendo peracturus erat, Cleonymum, ῥιψάσπιδα illum, ἀσπιδαποβλῆτα, quem omnibus numeris Noster atque innumeris locis exagitavit, in somnis sibi visum esse narrat. Ita servi cogitationes imagine fiunt perspicuae.

v. 18. ἐπίχαλκον. cf. Mein. Com. II p. 709.

τί ταὐτὸν ἐν γῇ τ' ἀπέβαλεν κἀν οὐρανῷ
κἀν τῇ θαλάττῃ θηρίον τὴν ἀσπίδα;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἴμοι, τί δῆτά μοι κακὸν γενήσεται
ἰδόντι τοιοῦτον ἐνύπνιον;

ΣΩΣΙΑΣ.

μὴ φροντίσῃς.
οὐδὲν γὰρ ἔσται δεινὸν οὐ μὰ τοὺς θεούς.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

δεινόν γέ πού 'στ' ἄνθρωπος ἀποβαλὼν ὅπλα.
ἀτὰρ σὺ τὸ σὸν αὖ λέξον.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἀλλ' ἐστὶν μέγα.
περὶ τῆς πόλεως γάρ ἐστι τοῦ σκάφους ὅλου.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

λέγε νυν ἀνύσας τι τὴν τρόπιν τοῦ πράγματος.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἔδοξέ μοι περὶ πρῶτον ὕπνον ἐν τῇ πυκνὶ
ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα,

v. 22. 23. Ordinem verborum e R. restituit Invern., receperunt recentt. assentiente cod. V. Praeterea Hirschig. προτενεῖ pro προερεῖ et τί pro ὅτι vel ὅ, τι, scholiastam sequutus: ἐν τῷ ὅτι περισσεύει τὸ ὁ 'Αττικῶς.
οὖν τε γῇ Markl. Eur. Suppl. 109. κἄτ' ἐν θ. pro κἀν τῇ θ. propon. Dobr-

v. 25. τοιοῦτον R. V. vulgo. τοιοῦτ' Elmsl. Ach. 178, Hirschig. cf. Enger. Lys. Pr. XXII. ἰδὼν τοιοῦτον Reisig. Ien. L. Z. 1817 p. 403.

v. 27. ποῦστ' Ald. πουστ' Iunt. πού'στ' vulgo. τοῦστ' Dind. Hirsch. Bergk. cf. Eng. Thesm. 21. Bentleius versum 27 Sosiae continuat, partem sequentis Xanthiae relinquit.

v. 31. πυκνὶ R. V. Iunt. schol. Ach. 20. πνυκὶ Ald.

v. 24. οἴμοι. S·mnium tanquam oraculum aliquid ma'i vaticinatur. Metuit igitur, qui perfugam in somnis viderit, ne ipse, qui perfugere cogitaverit aliquo modo, loco numeroque perfugae habeatur. Quare idem v. 27, quasi de se, δεινόν γέ πού'στ' ἄνθρωπος ἀποβαλὼν ὅπλα: i. e. nequam homo, quum proxime ante δεινὸν sit: timendum.

v. 29. σκάφους: schol. ἀεὶ οἱ ποιηταὶ τὰς πόλεις πλοίοις παραβάλλουσιν καὶ Σοφοκλῆς. Ita nos assuevimus uti verbo: Staatsschiff; itaque τρόπιν v. 30 reddas: Wendung, i. e. Pointe.

v. 32. ἐκκλησιάζειν: schol. εἰς ἐκκλησίαν συνάγειν, immo συνάγεσθαι. cf. Thesm. 84. 90. 329. Eccl. 161. Πρό-

βακτηρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια·
κἄπειτα τούτοις τοῖς προβάτοισί μοὐδόκει
δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια,
ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρησμένης ὑός.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

αἰβοῖ.

ΣΩΣΙΑΣ.

τί ἔστι;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

παῦε, παῦε, μὴ λέγε·
ὄζει κάκιστον τοὐνύπνιον βύρσης σαπρᾶς.

ΣΩΣΙΑΣ.

εἶθ' ἡ μιαρὰ φάλαιν' ἔχουσα τρυτάνην

v. 34. τοῖσι προβάτοις R. V. Invern. Bekk. Dind. Hirsch. τοῖς προβάτοισι vulgo, quod praestat propter metrum.

v. 36. ἐμπεπρημένην R. ἐμπεπρησμένην V. ἐμπεπρησμένης vulgo, rec. Hirschig. ἐμπεπρημένης Bekk. Dind. Bergk.
συὸς Ald. ὑὸς R. V. Iunt. Kust. recentt.

v. 37. παῦε. Cob. V. L. p. 264 tantum παῦε et παῦσαι probat, παύου reiicit, quod quum exstet in fragm. Ephippi ap. Ath. VIII, 346 f., Mein. C. III, 323, coniecit παῦ' οὖν, quod non minus rarum videtur esse pro παῦε δή. Vid. Xen. Anab. III, 3, 2.

v. 38. τοὐνυπνίου Cob. Mnem. l. l., sed Ach. 852: ὄζων κακὸν τῶν μασχαλῶν, Eq. 892: βύρσης κάκιστον ὄζων, similia ap. Bergk. Rel. C. p. 277 satis demonstrant, etiam hoc loco ὄζειν requirere suum nominativum. — τὸ 'νύπνιον ante Kusterum.

βατα vero Athenienses audiunt, non quod laenam gestant, hoc enim v. s. dicitur: βακτηρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια, sed quod προβατώδως mansueti sunt et dediticii Cleonis, balaenae istius omnivorae.

v. 35. πανδοκεύτρια: schol. ἡ πάντα δεχομένη i. e. ἡ δωροδοκοῦσα. Ran. 114. Pl. 426 πανδοκεύτρια ἡ καπηλίς est ἡ ξενοδόχος, παρὰ τοῦ δέχεσθαι πάντας. Ran. 550 τὸ πανδοκεῖον caupona est. cf. Eupol. ap. schol. Vesp. 897, Mein. C. II p. 432 et Philippid. ap. Plut. Demetr. c. 24, Mein. C. IV p. 474.

v. 36. ἐμπεπρησμένης: schol. ἐμπεφυσημένης καὶ παχείας. πρῆσαι γὰρ τὸ φυσῆσαι, ut Hom. Od. II, 427. Verum de voce Paphlagonis apparet dictum esse, quae cum suis incensae: einer gesengten Sau, comparatur.

v. 38. ὄζει: schol. ὅτι βυρσοπώλης ὁ Κλέων. Spectatorum partes servus explet, quum clamat, ipsum iam somnium olere corii et coriarii ipsius putorem. Cf. Bergk. Rel. C. p. 277. Elmsl. Ach. 193.

v. 39. μιαρά: verbo Noster saepissime utitur, sed maxime insignis est

ἵστη βόειον δημόν.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἴμοι δείλαιος·
τὸν δῆμον ἡμῶν βούλεται διιστάναι.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἐδόκει δέ μοι Θέωρος αὐτῆς πλησίον
χαμαὶ καθῆσθαι, τὴν κεφαλὴν κόρακος ἔχων.

v. 40. βόειον δῆμον V. sec. Cob.
v. 41. διιστάναι R. V. schol. Inv. Bekk. Dind. Hirsch. Bergk.; διιστάνειν antea vulgo et Steph. Byz. s. v. δῆμος.

versus Ran. 466: καὶ μιαρὲ καὶ παμμίαρε καὶ μιαρώτατε.

v. 40. βόειον δημόν. Quin δημὸν scribendum sit, nemo unquam dubitavit, neque tamen dixit quisquam, qui fieri potuerit, ut spectatores verbi ambiguitatem animadverterent. Namque actor aut metrum versus neglexit, aut pronunciavit δῆμον. Alia est conditio v. Eq. 954 δημοῦ βοείου θρῖον ἐξωπτημένον, ubi verborum lusum quivis percipere poterat. Itaque metro neglecto δημὸν pronunciatum esse puto. An scribendum δημὸν βόειον ἵστη? — Βόειον vero non solum τὸ ἀναίσθητον est, ut schol. R. animadvertit, sed etiam, quum vulgus subaudiatur, τὸ βοῶν significare iubetur. Insomnium egregie ab altero narratur, ab altero explicatur. Alter enim oves concionantes, balaenam verba facientem et trutinae adipem bubulam appendentem se vidisse narrat; alter continuo Athenienses, Cleonem, vulgus balans sed pingue atque immobile tangi videt. Itaque, quod Xanthias addit: τὸν δῆμον ἡμῶν βούλεται διιστάναι, verbis magis ludit quam ἀφ' ἱστορίας est, ut schol. volebat: πρὸ δύο ἐτῶν τῆς διδασκαλίας τούτου τοῦ δράματος Λακεδαιμονίων περὶ εἰρήνης πρεσβευσαμένων ὁ Κλέων ἀπήλασε τοὺς πρέσβεις. Ad tempus enim tam remotum nunc poeta non allusit, sed Cleonem, cuius gratia atque auctoritas in civitate evanescere coeperant, socios suos atque amicos per trutinam cognoscere finxit. Hinc illud διιστάναι, distrahere, quid sibi velit perspicitur. Cf. infra v. 62.

v. 42. Theorus ut periurus, rapax, moechus, adulator etc. saepius in Acharnensibus, Nubibus, Vespis carpitur. Hoc loco quod eum finxit humi sedentem coracisque caput habentem, egregie convenit cum ovibus et adipe bubula. Verum propter tres maxime res Theori et coracis mentionem iniecit, primum ut Alcibiadem carperet, virum iuvenem νεωστὶ conspicuum; tum, ut Alcibiades ore balbo diceret κόλακος i. e. verum Theori nomen; denique ut proverbio, quod amabat, uti posset v. 51: ἐς κόρακας. Praeterea, ut Berglerus monuit, Θέωλος quasi Θεώλης quidam est, diis invisus. Infra enim v. 416 utrumque et θεοσεχθρία et quod κόλαξ fuerit repetitur. Postremo crediderim, etiam verbo ὀλᾷς v. 45 lusisse Comicum, ut esset ὁ λᾶς tanquam saxum Sisyphi, impudens, bonorum impedimentum. De Alcibiadis balbutie cf. Plut. Alc. 1. Mein. C. II p. 728. Ad v. 45 cf. Hermog. περὶ μεθόδου δεινότητος c. 35 (Walz. III p.

εἶτ' Ἀλκιβιάδης εἶπε πρός με τραυλίσας·
ὁλᾷς; Θέωλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ὀρθῶς γε τοῦτ' Ἀλκιβιάδης ἐτραύλισεν.

ΣΩΣΙΑΣ.

οὔκουν ἐκεῖν' ἀλλόκοτον, ὁ Θέωρος κόραξ
γιγνόμενος;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἥκιστ'· ἀλλ' ἄριστον.

ΣΩΣΙΑΣ.

πῶς;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ὅπως;
ἄνθρωπος ὤν, εἶτ' ἐγένετ' ἐξαίφνης κόραξ·
οὔκουν ἐναργὲς τοῦτο συμβαλεῖν, ὅτι
ἀρθεὶς ἀφ' ἡμῶν ἐς κόρακας οἰχήσεται;

ΣΩΣΙΑΣ.

εἶτ' οὐκ ἐγὼ δοὺς δύ' ὀβολὼ μισθώσομαι
οὕτω σ' ὑποκρινόμενον σαφῶς ὀνείρατα;

v. 48. γενόμενος Bergk. ed. II.
v. 49. ἄνθρωπος ὢν εἶτ' R. V. Inv. Bekk. Dind. Hirsch. Bergk.; ἄνθρωπος ἦν. εἶτ' antea vulgo. ἄνθρωπος εἴ τις ἐγένετ' proponebat Bergk. ed. II.
v. 50. οὔκουν Brunck. recentt., οὐκοῦν Ald. Iunt. Kust.
v. 52. δύ' ὀβολὼ R. V. Δ. Iunt. Frob. Kust. Inv. recentt. ὀβολιὼ Ald. Crat. cf. Ran. 141. Dem. κατὰ Εὐεργ. p. 1162. 1164. κατὰ Τιμοθ. p. 1187.
v. 53. οὕτω σ' Geel. Mnem. l. l. Bergk. in Praef. XV. οὕτως vulgo. Recepi, quod ὑποκρινόμενον articulo caret.
— σοφῶς R. V. Dind. Bekk. Bergk. σαφῶς vulgo, rec. Hirsch., utrumque probat Dobraeus, praefert tamen σαφῶς.

438.) Mein. C. IV, 650. De v. λᾶς v. H. Steph. s. v. λᾶας.

v. 51. ἀρθεὶς ἀφ' ἡμῶν: non solum tanquam corax, sed etiam si verborum ὁ λᾶς lusum spectemus, tanquam lapis proiectus.

v. 52. δύ' ὀβολώ: cf. Lobeck. Aglaoph. p. 253. Proleg. nostr. p. 159 sq.

v. 53. σαφῶς respondet ad Xanthiae ἐναργές. Tamen dubito an codicum σοφῶς praeferendum sit. Vtrumque aptum praebet sensum. Iam animadvertas velim, Sosiam Xanthiae, hunc vero Sosiae interpretem esse somniorum, utrumque autem ante portam assidere dormiturientem. Tum Xanthias, dum socius ultima verba loquitur, surgit et progressus aliquantum, ita ta-

ΞΑΝΘΙΑΣ.

φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,
ὀλίγ' ἄτθ' ὑπειπὼν πρῶτον αὐτοῖσιν ταδί·
μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης·

v. 55. ὀλίγ' ἄτθ' ex R. V. Iunt. Frob. et Kustero receperunt Invern. Dind. Hirsch. Bergk. — Brunckius ὀλίγα γ' cum B. Δ. Ald. ὀλίγατθ' Dawes. M. Cr. p. 302.

ibid. πρῶτον ex R. V. cum Invern. editores recentiores. vulgatum πρότερον revocavit tanquam suum Cob. Mnem. l. l. idem cod. Vat. P.

v. 57. κεκλεμμένον R. V. B. C. Iunt. Brunck. recc. κεκλαμμένον vulgo. cf. Lob. Phryn. p. 612. Herm. Vig. p. 391. κέκλαμμαι defend. Dobr. ex Ath. IX, 409 c. et schol.

v. 61. ἀνασελγαινόμενος codd. vulgo. αὖθις ἂν ἀνασ. V. s. Bekk. ἐνασελγαινόμενος Dind. recep. Hirschig. Cur vero inaudita vox? αὖθις ἀνασελγ. idem est quod αὖθις αὖ ἀσελγαινόμενος: iterum iterumque perstrictus et contaminatus.

men, ut aedium custos esse non desinat, verba facere coepit apud spectatores. Priores ergo duos versus 54 et 55, quibus confabulationem interrumpit, ad Sosiam pertinent, interque surgendum et progrediendum pronunciantur; sequentibus duobus utrumque alloquitur et socium et spectatores. Quinto denum versu, ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' κτλ. cum solis spectatoribus rem habet.

v. 54. τὸν λόγον: schol. R. τὴν ὑπόθεσιν τοῦ δράματος. cf. Bergk. ap. Mein. C. II p. 1029 et Mein. C. III p. 107.

v. 57. Μεγαρόθεν. De comoedia Megarica vid. Mein. Com. I p. 21. II p. 418. 522 et Bergk. Rel. Com. p. 273. 286. 359. et Prolegom. nostra p. 58 sqq.

v. 58. φορμίδος: schol. V. ὡς τῶν ἄλλων ποιητῶν διὰ ψυχρότητα ποιήσεως διὰ βόλου καρύων ὑποστελλομένων τὴν κακίαν τοῦ δράματος. Morem bellaria proiiciendi spectatoribus, quem deridet Comicus, Brunckius ad v. explicavit, comparatis Pac. 962 et Plut. 797.

v. 60. Ἡρακλῆς. Poeta semet ipsum et excusat et deridet; multum enim prius Herculis voracitatem perstrinxerat, cf. Fritzschii Daetal. p. 31 sq., eundem postea in Ranis v. 503 sqq. Cum nostro loco comparandus Pacis v. 741. Hercules autem Euripideus in Alcestide effecit, ut fabula κωμικωτέρα esse iudicaretur. Hinc proverbium ortum est, quod comicis debetur: Ἡρακλῆς ξενίζεται, de famelico moraeque impatiente, de quo schol. Lys. 928: παροιμία ἐπὶ τῶν βραδυνόντων. οἱ γὰρ ὑποδεχόμανοι τὸν Ἡρακλέα βραδύνουσιν. ἀδηφάγος γὰρ ὁ

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.
ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον,
ὑμῶν μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.
ἔστιν γὰρ ἡμῖν δεσπότης ἐκεινοσί,
ἄνω καθεύδων, ὁ μέγας, οὑπὶ τοῦ τέγους.
οὗτος φυλάττειν τὸν πατέρ' ἐπέταξε νῷν,
ἔνδον καθείρξας, ἵνα θύραζε μὴ 'ξίῃ.
νόσον γὰρ ὁ πατὴρ ἀλλόκοτον αὐτοῦ νοσεῖ,

v. 62. γ' ἔλαμψε: ante Brunckium legebatur Κλέων ἔλ., nunc ex R. V. (sec. Dind.) B. C. receptum ab omnibus Κλέων γ' ἔλ. Verum, comparato Nub. v. 549 sq., fortasse legendum Κλ. ἀνέλαμψε ut ἀνασελγ. Κλέων' ἔγλαψα nunc Bergk. ed. II. Per Cleonem Equitum fabulam intelligi arbitratur Reiskius: idem suspic. Lenting.

v. 68. ἄνω vulgo, correxit Reisig. Coni. p. 184 et praetermisso Reisigio Cobetus Mnem. l. l. Commate interpungendum post ἐκεινοσί. Schol. articulum legisse videtur, explicans: τὸ ἄνω δεικτικῶς. Pro ἄνω Bergk.: fort. ὕπνῳ ed. II.

v. 70. καθεύδειν Ald. Crat. καθείρξας vulgo.

v. 71. Displicet αὐτοῦ, quum sufficiat ὁ πατήρ, nisi malis αὐτοῦ significare: ibi. Fortasse scribendum ἔνδον, ut v. 110: αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει.

ἥρως. Cf. Bergk. in Mein. Com. II p. 1026. 1055. 1139.

v. 62. αὖθις. Namque duobus antea fabulis Euripides carptus est, Acharnensibus et, ut demonstrare conatus sum, Proagone; cf. Prolegom. p. 27.

v. 63. μυττωτεύσομεν: schol. R. ἀντὶ τοῦ συντρίψομεν, δριμύξομεν, ἐκπικρανοῦμεν: zusammen- vel durchkneten, ut factum erat in Babyloniis et Equitibus. cf. Pac. 247.

v. 64. λογίδιον, quod supra v. 54 λόγος. — γνώμην: schol. περιπέτειαν, sed est: gravitatem.

v. 65. οὐχὶ δεξιώτερον: schol. ἧττον τῆς ὑμῶν σοφίας.

v. 66. φορτικῆς: de comoedia vulgari atque insulsa, quam dicit, Megarensium, aliorum vid. Meinek. Com. I p. 223 et supra ad v. 57, cf. Proleg. p. 58 sqq.

Huiusmodi excusationes et laudationes sui praesertim in parabasibus obviae sunt, ut Equitum, Nubium, Vesparum, Pacis.

v. 68. τοῦ τέγους: schol. ὁρᾶται γὰρ ὁ Βδελυκλέων ἐπὶ ὑπερῴου καθήμενος: immo κατακλινείς.

v. 69. De solutione quarti pedis πατέρ' ἐπέταξε dixit Engerus Praef. Lys. XXVII.

v. 70. De μὴ 'ξίῃ cf. Herm. Vig. p. 459.

ἣν οὐδ' ἂν εἷς γνοίη ποτ' οὐδὲ ξυμβάλοι,
εἰ μὴ πύθοιθ' ἡμῶν· ἐπεὶ τοπάζετε.
'Αμυνίας μὲν ὁ Προνάπου φήσ' οὑτοσὶ
εἶναι φιλόκυβον αὐτόν·

ΣΩΣΙΑΣ.

ἀλλ' οὐδὲν λέγει
μὰ Δί', ἀλλ' ἀφ' αὑτοῦ τὴν νόσον τεκμαίρεται.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οὔκ, ἀλλὰ φιλο μέν ἐστιν ἀρχὴ τοῦ κακοῦ.

v. 72. οὐδ' ἂν ξυμβάλοι. Cobet. l. l. coniecit οὐδέ, i. e. lectionem vulgatam ante Dindorfium et Bekkerum. Repetitum οὐδ' ἄν aptam vocis intentionem requirit.
v. 73. πύθοιθ': praetulerim πύθοισθ', quum sequatur τοπάζετε· (de varia lectione scholiastae τοπάζεται, e Cod. Δ. recepta, vid. O. Schneider. de vet. Ar. sch. fontt. p. 53).
v. 74. Προνάπους R. V., quod receperunt Dindorf. Bergk. Invern. Vulgatum Προνάπου tuetur Hirschig. Dind. comparat Προνάπει ap. Isaeum Or. VII p. 65, 18.
v. 76 et 77. Xanthiae tribuuntur in Ald.
v. 77. Pro οὔκ, quod tamen satis bonum sensum habet, εὖ γ', ut Bergkio satisfiat, legendum censeo. Bergk.: „personarum distributio admodum incerta; fort. Σ. v. 73. 74, Ξ. v. 76, Σ. v., qui excidit, Ξ. v. 77, Σ. v. 78. 79 — αὐτόν. Ξ. v. 79. 80, Σ. 81. 82, Ξ. v. 83—135."
v. 77. ἀρχὴ Hirschig. vulgo ἀρχή.

v. 74. 'Αμυνίας: schol. ὡς φιλόκυβος κωμῳδεῖται. ἐν δὲ Σεριφίοις Κρατίνου ὡς κόλαξ καὶ ἀλαζὼν καὶ συκοφάντης. Cf. Mein. Com. II p. 138. I p. 364. Bergk. Rel. C. p. 207. Alter videtur fuisse Cleonymus, alter Cinesias, quippe in Nub. 686 sqq. tanquam mulier carpitur. Quum in Nubibus potissimum et in Vespis eius vitia notaverit Comicus, videtur non multo post Vesparum didascaliam obiisse.

v. 75. Schol.: τινὲς ἀμοιβαῖα. Quod ita intelligo, ut quidam hunc ipsum versum voluerint distribuere. Non male. Nam v. 79 eadem ratione bipartitus. Itaque sic disposui cum R. et Iunt. Bergkius post v. 76 versum excidisse indicavit, sequenti versu opinor impulsus, quo Xanthias videtur Sosiae coniecturis respondere. Verum οὔκ, quod repetit prius οὐδέν, in ore servi bene se habet.

v. 76. τεκμαίρεται. Ita Alexis ap. Stobaeum Floril. 73, 39 (Mein. Com. III p. 521): ἀπ' ἐμαυτῆς ἐγὼ τεκμαίρομαι. cf. Fritzsch. Daetal. p. 52.

v. 77. φιλο — scholiasta bene: ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἀρχὴν τοῦ ὀνόματός φησι τοῦ κακοῦ (et quod v. 71 Xanthias νόσον νοσεῖ dixerat). τὸ φιλο δὲ εἶπε, παρόσον Φιλοκλέων ἐκαλεῖτο. πεποιημένον δὲ τοῦτο παρὰ τὸ φιλεῖν τὰς Κλέωνος πράξεις. φιλόδικος δὲ οὗτος καὶ συκοφάντης.

ὁδὶ δέ φησι Σωσίας πρὸς Δερκύλον
εἶναι φιλοπότην αὐτόν.

ΣΩΣΙΑΣ.

οὐδαμῶς γ', ἐπεὶ
αὕτη γε χρηστῶν ἐστιν ἀνδρῶν ἡ νόσος.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

Νικόστρατος δ' αὖ φησιν ὁ Σκαμβωνίδης
εἶναι φιλοθύτην αὐτὸν ἢ φιλόξενον.

ΣΩΣΙΑΣ.

μὰ τὸν κύν' ὦ Νικόστρατ' οὐ φιλόξενος,
ἐπεὶ καταπύγων ἐστὶν ὅ γε Φιλόξενος.

v. 78. Σωσία Brunckius.
v. 80. ἀνδρῶν ἐστιν Ald. Crat.
v. 81. ὦ Νικόστρατος Ald. Iunt. Kust. correxit Crat. Iunt. 1540, Fl. Christ. Rek.

v. 78. Σωσίας. Scholiasta spectatorem quendam hoc nomine appellatum esse dicit, non Sosiam servum; idem duos eiusdem nominis commemorat fuisse, alterum Pythidis, alterum Parmenonis filium. Assentitur Berglerus, quod Sosias servus, quo morbo herus laboret, sciat. Brunckius autem, quod Σωσίας tantum servile nomen fuerit, servisque in theatro locus non sit concessus, Σωσία coniecit, ut ὁδὶ unus ex spectatoribus sit. Dindorfius vero ex ipso scholiasta eque Demosthene p. 1075 satis demonstravit, etiam liberos homines interdum nomine Sosiae usos esse. Verumtamen, licet servi spectatum ire non vetarentur, licet liberi eius nominis homines Athenis fuerint, Sosiam actorem his verbis appellatum esse et propter ebrietatem, communem servorum morbum, notatum puto. Agunt enim Xanthias et Sosias spectatorum partes. Dercylus homo ebriosus sive caupo fuit sive actor comicus, aut inter spectatores assidebat, ut Amynias, Nicostratus, alii, qui tanguntur (salva venia tanguntur, quasi poeta omnibus una dixerit: Nichts für ungut!), aut nomine suo ex vinolentia notissimo risum movebat. Quod vero Sosias v. 80 contradicit: αὕτη γε χρηστῶν ἀνδρῶν ἡ νόσος: id ut semet defendat aliosque viros ceteroqui bonos, non in Dercyli favorem dicit. Sosiam spectatorum unum esse, Dobraeus contendit.

v. 81. Νικόστρατος — ὁ Σκαμβωνίδης: schol. ἀπὸ δήμου τῆς Λεοντίδος φυλῆς ὁ Σκαμβωνίδης. Pagus audiebat Σκαμβωνίδαι, cf. Paus. I, 38, 2. Boeckh. C. I. n. 70. Leake Demen p. 22. 233. Bergk. Rel. Com. p. 208. Nicostratus alias homo ignotus, propter δεισιδαιμονίαν sacrificiorum studiosus fuit et superstitiosus, sed etiam liberalis. At Sosias verbo honesto φιλόξενος ludit, ut tangat Philoxenum cinaedum etiam ab Eupolide et Phrynicho derisum, cf. Mein. Com. I p. 221. 158. II p. 514. 598.

v. 83. μὰ τὸν κύν': schol. οὕτω διὰ δεισιδαιμονίαν ὤμνυον (an hoc loco

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἄλλως φλυαρεῖτ'· οὐ γὰρ ἐξευρήσετε.
εἰ δὴ 'πιθυμεῖτ' εἰδέναι, σιγᾶτε νῦν.
φράσω γὰρ ἤδη τὴν νόσον τοῦ δεσπότου.
φιληλιαστής ἐστιν ὡς οὐδεὶς ἀνήρ,
ἐρᾷ τε τούτου, τοῦ δικάζειν, καὶ στένει,
ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου.
ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην.
ἢν δ' οὖν καταμύσῃ κἂν ἄχνην, ὅμως ἐκεῖ
ὁ νοῦς πέτεται τὴν νύκτα περὶ τὴν κλεψύδραν.
ὑπὸ τοῦ δὲ τὴν ψῆφόν γ' ἔχειν εἰωθέναι

v. 86. εἰ δ' ἠπιθυμ. Ald. Iunt. Kust. εἰ δέ γ' ἐπιθυμεῖτ' Reiskius. εἰ δὴ 'πιθ. correx. Pors.

v. 87. φράσω κτλ. Hirschig. Philol. V p. 286 spurium esse iudicavit, comparato Lys. 769 sq., ubi post σιγᾶτε δή statim sequitur, quod dicendum erat. Sed diversa est huius loci conditio; Xanthias enim, quibuscunque modis potest, exspectare spectatores et desiderare nomen iubet.

v. 90. καθέζηται Bergk. ed. II.

v. 92. καταμύσει ante Brunckium. καταμύσῃ B. C. Pro ἐκεῖ H. Heckerus Mnemos. l. l. scribi iubet ἔτι, sine idonea causa, quum ἐκεῖ sit in somnis. Possit etiam valere: domi.

v. 93. πέταται Ald. Iunt. πέτεται Frob. ed. Scal. Kust.

v. 94. ψῆφόν γ' ἔχειν R. vulgo; C. F. Herm. δέφειν in censura edit. Hirschig. Sed cur obscoena inculcare, ubi severa reliqua et gravia sunt? Hirschig. κατέχειν. Sufficit γ' ἔχειν: si iudicare prohibetur, certe calculum manibus terere studet. Tum vero id quod statim sequitur γέ, prius tuetur: ἢν ἴδῃ γε, de quo dixit Reisig. Coni. p. 255. — τῶν ψήφων, ut τῶν λίθων Ach. 183, suspicatur Dobraeus.

propter καταπυγοσύνην Nicostrati?) ἢ τάχα μιμεῖται τοὺς φιλοσόφους (inprimis Socratem) εἰς κύνα καὶ χῆνα ὀμνύοντας.

v. 86. σιγᾶτε νῦν: vid. ad v. 77. σιγᾶτε δή Lys. 769.

v. 88. φιληλιαστής: vid. Proleg. p. 95 sqq.

v. 90. Versus admodum languet propter assonantiam πρώτου — ξύλου. Praetulerim: ἢν μὴ καθίζηται 'πὶ τοῦ πρώτου ξύλου.

v. 91. πασπάλην: schol. R. τὸ τῆς κέγχρας ἄλευρον. De minimo et minutissimo quoque dictum, ut v. 92 ἄχνην, τὸ λεπτομερὲς τῆς στάχυος. Schol. comparat Hom. Il. V, 499. Nos utimur in re simili Fünkchen, Stäubchen, Körnchen.

v. 93. τὴν κλεψύδραν: vid. Proleg. p. 134 sqq. Mire Palmerius scholiastae verba explicavit.

v. 94. τὴν ψῆφόν γ': vid. Proleg. p. 154 sqq.

τοὺς τρεῖς ξυνέχων τῶν δακτύλων ἀνίσταται,
ὥσπερ λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς νουμηνίᾳ.
καὶ νὴ Δί' ἢν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
υἱὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλόν,
ἰὼν παρέγραψε πλησίον· κημὸς καλός.
τὸν ἀλεκτρυόνα δ', ὃς ᾖδ' ἀφ' ἑσπέρας, ἔφη
ὄψ' ἐξεγείρειν αὐτὸν ἀναπεπεισμένον,
παρὰ τῶν ὑπευθύνων ἔχοντα χρήματα.
εὐθὺς δ' ἀπὸ δορπηστοῦ κέκραγεν ἐμβάδας·
κἄπειτ' ἐκεῖσ' ἐλθὼν προκαθεύδει πρῴ πάνυ,

v. 97. ἂν vulgo ante Bentleium. ἂν Porsonus saltem apud comicos recentiores retinendum esse monuit, ut Dobraeus refert. Idem tamen vel ἢν vel ἐὰν malebat.
v. 98. υἱὸν R. V. Invern. Dind. Hirsch. Bergk. τὸν Πυρ. vulgo. τόνδε Πυριλ. Lenting.
v. 99. ἰὼ P. Iunt.
v. 100. ὡς pro ὃς propon. Bergk. ed. II. Dind. ᾖδ' R. vulgo. ᾔδεν B. C. Δ. — Bekkerus et Bergkius ἀφ' ἑσπέρας, ut R. et V. sec. Cob. Reliqui ἐφ', quod minus aptum; quum galli de media nocte incipiant canere, nunc eum ab ineunte incepisse neque tamen satisfecisse seni dicit. Schol. ἐν ὑπερβολῇ τοῦτο.
v. 101. ὄψ' ἐξεγείρειν R. V. Invern. Dind. Bekk. Hirsch. Bergk. ὡς ὄψ' ἐγείρειν antea vulgo.
v. 103. δ' om. Ald.

v. 95. τοὺς τρεῖς: schol. τούτῳ γὰρ κατέχουσι τὰς ψήφους οἱ δικασταί, τῷ μεγάλῳ καὶ τῷ λιχανῷ καὶ τῷ μέσῳ.

v. 96. νουμηνίᾳ: schol. κατὰ νουμηνίαν γὰρ ἔθος εἶχον λιβανωτοὺς ἐντιθέναι τοῖς ἀγάλμασι. cf. Mein. Com. I p. 140.

v. 98. Demus, Pyrilampis filius, forma insignis multos habuit amatores; cf. Plat. Gorg. p. 841 d. et Eupolis apud schol. ad h. l. cfr. Mein. Com. I p. 140. II p. 515 et quem laudavit Mein., Boeckh. Prooem. lect. aest. Ber. 1839 p. 14. — Ad γεγραμμένον schol. R. ἔθος ἦν τοῖς ἐρασταῖς ἐπιγράφειν πανταχοῦ τὸ τῶν παιδικῶν ὄνομα. cf. Acharn. 144.

v. 99. κημὸς καλός: vid. Proleg. p. 131 sq. Iam videtur hoc loco etiam πρὸς τὸ κακέμφατον dictum esse, quum de Demo agatur (cf. Bergk. Rel. Com. p. 139. Mein. Com. II p. 50).

v. 102. ὑπευθύνων: Vict. τῶν δικαζομένων.

v. 103. ἀπὸ δορπηστοῦ: ut gallus ἀφ' ἑσπέρας canere coepit, ita senex statim a coena cum clamore poscit calceos. De ἐμβάδας vid. Proleg. p. 146 sq.

v. 104. προκαθεύδει: scil. ante fori introitum. Non enim iudices solum

ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι.
ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι τιμῶν τὴν μακρὰν
ὥσπερ μέλιττ' ἢ βομβυλιὸς εἰσέρχεται
ὑπὸ τοῖς ὄνυξι κηρὸν ἀναπεπλασμένος.
ψήφων δὲ δείσας μὴ δεηθείη ποτέ,
ἵν' ἔχοι δικάζειν, αἰγιαλὸν ἔνδον τρέφει.

v. 105. Libri et vulgo προσεχόμενος, metro salvo et bono. Hirschig. coniecit etiam propter metrum languens, quod tamen saepissime obvenit, προσισχόμενος. „Secunda senarii dipodia eodem vocabulo continuata apud Aristophanem in prima sede, hoc est in tertia versus, rarissime habet tribrachyn: caeteris vero pariter constitutis ut in hoc versu, nunquam habet.“ Causa perspicua est: nam suis quisque versus utitur verbis, syllabis, rhythmo. Cur vero comparaverit Plut. 1096 προσίσχεται, Brunckio praeeunte, non video; quum ibi προσέχεται dici propter metrum non potuerit. Omnino formas ἴσχειν, ἀμπίσχω, ὑπίσχομαι, προσίσχομαι a metrorum legibus originem duxisse crediderim.

ibid. πρῴονι, columnae, suspic. Reisk.

v. 108. ἀναπεπλασμένος R. V. et recentiores post Invern. excepto Conzio, qui cum Brunckio vulgatum ὑποπεπλασμένος servavit.

v. 110. ἔχοι R. V. B. Invern. Dind. Bergk. Hirschig. ἔχῃ Bekkerus et vulgo. — δικάζων Lenting.

strenui sed etiam concionantes prima luce in forum contendere solebant, ut et primas sedes, τὸ πρῶτον ξύλον, occuparent et mercedem acciperent, cf. Eccles. 289 sqq. et Acharn. 28.

v. 105. λεπάς. Schol. Apoll Rh. Arg. I, 1266 λέπας. Affixus est atque haeret columnae (quae ad introitum utrimque est), tanquam concha saxo. Ita in Pluto v. 1095: τὸ γρᾴδιον ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσίσχεται. Hermippus ap. Athen. XIV, 636 d (Mein. Com. II p. 390) dixit λεπάδας πετρῶν ἀποκόπτειν, quasi omni virium intentione adhaererent saxis.

v. 106. ὑπὸ δυσκολίας: nam cum iudicandi furore libido damnandi in dies crevit. De τὴν μακρὰν vid. Proleg. p. 152 sq.

Hac impulsus iam ante rem iudicatam, immo ante causae initium ungues habet cera sublitos, api similis aut bombylio. Ἐν ὑπερβολῇ etiam haec. Nam causa iudicata οἱ καταδικαζόμενοι (leg. καταδικάσαντες) εἰώθασιν ἐν τῷ γραμματιδίῳ μακρὰν γραμμὴν ἕλκειν (schol. R.). Quae quum ita sint, interpretes latini ita verterunt, ut domum eum revertisse intelligerent. Non crediderim; sed domo effert ungues ceratos, domum refert. Tum vero poetam κατέρχεται scripsisse consentaneum est, si vocabulo revertendi opus fuisset.

v. 109. ψήφων: vid. Proleg. p. 154 sqq. Etiam haec ἐν ὑπερβολῇ, quum calculos tantum praesentibus iudicibus traditos esse demonstratum sit.

v. 110. αἰγιαλὸν τρέφει dictum, quod calculi et lapides sive lapilli erant et conchae.

τοιαῦτ ἀλύει· νουθετούμενος δ᾽ ἀεὶ
μᾶλλον δικάζει. τοῦτον οὖν φυλάττομεν
μοχλοῖσιν ἐνδήσαντες, ὡς ἂν μὴ ᾽ξίῃ.
ὁ γὰρ υἱὸς αὐτοῦ τὴν νόσον βαρέως φέρει.
καὶ πρῶτα μὲν λόγοισι παραμυθούμενος
ἀνέπειθεν αὐτὸν μὴ φορεῖν τριβώνιον
μηδ᾽ ἐξιέναι θύραζ᾽· ὁ δ᾽ οὐκ ἐπείθετο.
εἶτ᾽ αὐτὸν ἀπέλου κἀκάθαιρ᾽, ὁ δ᾽ οὐ μάλα.
μετὰ ταῦτ᾽ ἐκορυβάντιζ᾽· ὁ δ᾽ αὐτῷ τυμπάνῳ

v. 113. ἐγκλείσαντες vulgo et Reisig. Coni. p. 210. ἐνδήσαντες R. et V. sec. Dind. Iunt. Frob. et post Invern. editores. Vulgata lectio posse defendi mihi videtur loco Euripid. Androm. 950, a Berglero comparato: εὖ φυλάσσετε κλείθροισι καὶ μοχλοῖσι δωμάτων πύλας.

v. 118. κἀκάθαιρ᾽, ὁ δ᾽ οὐ μάλα. Ita post H. Stephanum Reisig. Coni. p. XVIII, Bekkerus, Dind. Hirschig. Bergk. κἀκκάθαιρ᾽ V. Iunt. Frob. καὶ κάθαιρ᾽ R. καὶ ᾽κάθαιρε B. C. κἀκάθαιρε καὶ μάλα Brunck. Invern. καὶ ᾽κάθαιρε καὶ μάλα Ald. Reiskius post μάλα punctum deleri iubet; quod deest ap. Iunt.

v. 119. μετὰ ταῦτ᾽ vulgo et Reis. C. p. 223. μετὰ τοῦτ᾽ e cod R. V. Invern. et Bergk. Non tam de re una et singulari quam de tempore dictum videtur; quare cum Reisigio praetulerim μετὰ ταῦτ᾽. Fritzsch. Thesm. 655 τοῦτ᾽. ἐκορυβάντιζεν Reis. ·Ien. L. Z. 1817 p. 399, quod eiusmodi elisione post maiorem interpunctionem Aristophanes non soleret uti (Dind.); verum quidni ponamus minorem interpunctionem?

v. 111. ἀλύει: schol. παρὰ τὰ Εὐριπίδου ἐκ Σθενεβοίας· τοιαῦτ᾽ ἀλύει, νουθετούμενος δ᾽ ἔρως μᾶλλον πιέζει.

v. 115. παραμυθούμενος: similiter Menander ap. Stob. Floril. 57, 1: ταῖς ἐλπίσιν τἀλγεινὰ παραμυθούμενος (Mein. Com. IV p. 273) et Noster apud Athen. VIII, 385 f. Bergk. M. C. II p. 962: εἰ μὴ παραμυθεῖ μ᾽ ὀψαρίοις ἑκάστοτε.

v. 116. τριβώνιον: vid. Proleg. p. 145 sq. De imperfectis ἀνέπειθε et ἐπείθετο dixit Reisig. Coni. p. 205.

v. 117. ἀπέλου: vid. Cobet. V. L. p. 84 et p. 360 sq. Sordes iudiciales abluebat filius, sed frustra. Remanebat furor iudicialis. Ad ὁ δ᾽ οὐ μάλα supplendum καθαρὸς ἦν vel tale quid vel etiam ἐπείθετο. Cf. Enger. ad Thesmoph. 846.

v. 119. ἐκορυβάντιζ᾽: schol. τὰ τῶν Κορυβάντων ἐποίει αὐτῷ μυστήρια, ἐπὶ καθαρμῷ τῆς μανίας. Bergler: „Quasi Corybantum insania levior sit quam huius senis, aut satius sit eum insanire Corybantum more, dum fori obliviscatur.“ Fallitur opinor scholiasta, de expianda sacris quibusdam insania cogitans. κορυβαντίζειν est aliquem iubere κορυβαντιᾶν, quod dulce sit desipere in loco. De sacris Corybantum Noster non cogitavit, ubi horum meminit, sed de temulentia atque ebrietate, quae cum Liberi sacris communicant. Quare senem cum ipso

ᾄξας ἐδίκαζεν εἰς τὸ Καινὸν ἐμπεσών.
ὅτε δῆτα ταύταις ταῖς τελεταῖς οὐκ ὠφέλει,
διέπλευσεν εἰς Αἴγιναν· εἶτα συλλαβὼν
νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ·
ὁ δ' ἀνεφάνη κνεφαῖος ἐπὶ τῇ κιγκλίδι.
ἐντεῦθεν οὐκέτ' αὐτὸν ἐξεφρείομεν.
ὁ δ' ἐξεδίδρασκε διά τε τῶν ὑδρορροῶν

v. 120. εἰς R. V. εἰς et ἐς Dind. ἐς Kuster. Brunck. εἰς reliqui. De discrimine τοῦ εἰς et ἐς copiose post Porsonum ad Hecub. pr. LVI. Elmslei. ad Acharn. 42. Fritzschium ad Thesm. 657 exposuit Engerus Lysistr. v. 1 et 2.

v. 121. ὅτε δὴ δὲ vulgo. δῆτα R. V. Invern. Reis. Coni. p. 228. Bekk. Hirsch. Bergk. Dindorfius in Oxoniensi δῆτα, in Parisiensi δὴ δέ. cf. Elmsl. Ach. 10. Pors. ad Lys. 523.

v. 125. ἐξεφρίομεν R. et Ven. sec. Cob. ἐξεφρείομεν vulgo. Dind. in Oxoniensi ἐξεφρίομεν, dum in comment. alteram formam probat, in Parisiensi ἐξεφρείομεν. v. 156. ἐκφρήσετε: cf. τελείω, δρασείει similia. Alia com-

tympano, quo in sacris peragendis usus esset, exsiluisse atque in novum forum irruisse iudicaturum finxit. De Corybantibus cf. schol. Lys. 558 et Pac. 277. Tympana in foro — huius ioci causa istud ἐκορυβάντιζε. Aliter Bergk. Rel. Com. p. 216.

v. 120. τὸ Καινόν: vid. Proleg. p. 104. 113.

v. 121. τελεταῖς: Vict. ἐπινοίαις. Quum patris furorem furore non posset sanare, patrem Aeginam traduxit (διέπλευσεν scil. μετὰ τοῦ πατρὸς) ibique prehensum illum in Aesculapii fano, quasi morbo laboraret, incubare fecit, sed mirum quantum summo mane ad fori introitum apparuit.

v. 124. κιγκλίδι: vid. Proleg. p. 121 sq. cf. Fritzsch. Daet. p. 126. 128.

v. 125. ἐντεῦθεν de tempore dictum, = ἐκ τούτου vel μετὰ ταῦτα, ut Ran. 154. Equit. 543.

v. 126. Imperfecta ἐξεδίδρασκε — ἐξήλλετο — ἐνέκρουεν de conatu.

ib. ὑδρορροῶν: schol. οἱ κοῖλοι τόποι, δι' ὧν χωρεῖ τὸ ὕδωρ τὸ ἐξ ὑετῶν. Ach. 922 ὑδρορρόα καλεῖται τὸ μέρος τῆς στεφανίδος, δι' οὗ τὸ ἀπὸ τοῦ ὄμβρου ὕδωρ συναγόμενον κατέρχεται. Eadem schol. Acharn. 1186. Comparatis his locis, namque Eubuli ap. Athen. XIII, 557 f. (Mein. C. III p. 250) nullius profecto momenti, apparet canales fuisse intra aedium muros ad ipsum muri parietem, ut esset μέρος τῆς στεφανίδος. Namque Graeci aquam, quantum fieri eius poterat, excipiebant ad usum domesticum. Coelo sereno aura per hos canales penetrabat, quos quam ampli fuerint ignoramus; quum hoc certe Vesp. loco ἐν ὑπερβολῇ dictum sit, senem per canales egredi conari. Videntur autem plures numero fuisse; quattuor, si placet. Verum ut canales ita fuisse domus interioris partem existimem, movet me maxime Acharn. v. 922 εἰσπέμψειεν εἰς τὸ νεώριον δι' ὑδρορρόας: quod, quum navalia fuerint tectis instructa, nisi per tecti foramen, fieri non potuit; movet praeterea, quod nostro loco dictum est ἐξεδίδρασκε. — Alterum foraminum genus αἱ ὀπαί

13

καὶ τῶν ὀπῶν· ἡμεῖς δ' ὅσ' ἦν τετρημένα
ἐνεβύσαμεν ῥακίοισι κἀπακτώσαμεν.
ὁ δ' ὡσπερεὶ κολοιὸς αὑτῷ παττάλους
ἐνέκρουεν εἰς τὸν τοῖχον, εἶτ' ἐξήλλετο.
ἡμεῖς δὲ τὴν αὐλὴν ἅπασαν δικτύοις
καταπετάσαντες ἐν κύκλῳ φυλάττομεν.
ἔστιν δ' ὄνομα τῷ μὲν γέροντι Φιλοκλέων,
ναὶ μὰ Δία· τῷ δ' υἱεῖ γε τῳδὶ Βδελυκλέων,
ἔχων τρόπους φρυαγμοσεμνακούς τινας.

posita Vesp. 892: εἰσφρήσομεν, Av. 194: διαφρήσετε. — ἐξεφροῦμεν ἂν proponebat Porson. — Dobraeus „Vel legendum cum Porsono ἐξεφροῦμεν ἄν, vel ἐντεῦθεν οὖν ὁ μὲν οὐκέτ' αὐτὸν ἐξέφρει. Sed nunc malim ἐντεῦθεν οὐκέτ' οὐδαμόσ' αὐτὸν ἐξέφρει."

v. 129. κολοιός. Berglerus Κόροιβος coniecit, iniuria a Brunckio notatus, cf. schol. Ran. 990 et Suid. s. v., quamquam praestat κολοιός.

v. 134. τῳδὶ R. V. Iunt. Kust. recent. τῷδε B. C. Ald. Brunck.

v. 135. φρυαγμοσεμναχους τίνους R. φρυαγμοσεμνα χουστίνας V. sec. Cob. Recentiores cum Suida s. v. φρυαγμοσεμνάκους τινάς. ὀφρυαγμοσεμνακουστίνους i. e. scholiastarum lectio, B. Δ. Ald. Iunt. Kust. Legendum φρυαγμοσεμνακούς τινας. Quid? si legamus ὀφρυαγνοσεμνικούς τινας, ut derivandum sit ab ὀφρύς, ἁγνός, σεμνός?
— ὀφρυαγμοσεμνοβυστικοὺς Bentl.

quod verbum pro quolibet genere foraminum usurpatur. Ita nostro loco et fumarium, quae v. 143 ἡ κάπνη appellatur: et fenestras, alias αἱ θυρίδες nuncupatas, et reliqua tecti aut murorum foramina significat. Quo eodem sensu adhibitum est v. 350. 352; v. 318 fenestram aliquam choro adversam esse apparet, retibus obstrictam; item apud Pollucem X, 25 (Mein. Com. II p. 948) aut fenestram aut tecti foramen (Dachluke) — καὶ δι' ὀπῆς κἀπὶ τέγους: et ap. Athen. XIII, 569 b. μηδὲ δι' ὀπῆς κάτωθεν ἐκδῦναι στέγης idem est tecti foramen (Mein. Com. III p. 617); idem denique apud Sannyrionem schol. Eur. Orest. 269 (Mein. Com. II p. 874). Translate vero Lys. 721. Plut. 715. — Postremo nominatur τὸ τῆς πυέλου τρῆμα v. 141, alvei foramen, schol.: ἡ πύελος ἔχει τρώγλην, δι' ἧς ἀπολουόμενον ἐκχέουσι τὸ θερμόν: cf. Pac. 843. Eq. 1060. 1062 cum schol., in aversa domus parte situm. Bene addit scholiasta: παίζει δὲ καὶ τοῦτο (ut τὴν ὑδρορρόαν) ὡς ἐπὶ μυός. Cf. Mein. C. V. s. πύελος. Haec omnia foramina v. 127 dicuntur, ὅσ' ἦν τετρημένα.

v. 129. κολοιός: schol. τοῖς γὰρ ἐν τῷ οἴκῳ κολοιοῖς (καὶ τοῖς ἄλλοις ὀρνέοις) πηγνύουσι πάτταλον, ἵνα εἰς αὐτοὺς ἅλλοιντο.

v. 135. φρυαγμοσεμνακούς τινας. Flor. Chr. vertit: mores habenti caperofronti-pervicos i. e. severos supra modum et superbos.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ. ΞΑΝΘΙΑΣ. ΣΩΣΙΑΣ. ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ὦ Ξανθία καὶ Σωσία καθεύδετε;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἴμοι.

ΣΩΣΙΑΣ.

τί ἔστι;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

Βδελυκλέων ἀνίσταται.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

οὐ περιδραμεῖται σφῷν ταχέως δεῦρ' ἅτερος;
ὁ γὰρ πατὴρ εἰς τὸν ἰπνὸν εἰσελήλυθεν
καὶ μυσπολεῖ τι καταδεδυκώς. ἀλλ' ἄθρει

v. 140. Reiskius ita distribuit: Servus: καὶ μυσπολεῖ τις καταδεδυκώς. Bdel. ἀλλ' ἄθρει. Bentleius: μυσπολεῖ γε vel τις. γ' ὅστις Ald. τις ὅστις

v. 136. Bdelycleo expergefactus clamat servos. Hi enim, ut supra demonstravimus, aliquantum a domo et statione sua progressi cum spectatoribus confabulantur, primo Xanthias, tum Sosias subsequens. Qui, dum Xanthias tanquam prologum fabulae loquitur, ad stationem rediisse, immo iterum obdormivisse existimandus est. Namque Xanthias, audita heri voce, stationem suam occupare properat, clamans οἴμοι, quo expergefacit Sosiam, qui quum propter soporem audierit nihil, admiratus quaerit: τί ἔστι; Iam Bdelycleo de tecto haec, de qua re vid. Proleg. p. 40 sqq..

v. 139. ἰπνόν: schol. ἰπνὸς κυρίως ἡ κάμινος. νῦν δὲ τὸ μαγειρεῖόν φησιν, ἐν ᾧ λαθὼν αὐτοὺς ὁ Φιλοκλέων εἰσῆλθεν καὶ τρύπην ὑπέδυ.

v. 140. μυσπολεῖ: schol. τὸ ἐρευνᾶσθαι κρύφα (nos: rascheln).

κατὰ τῆς πυέλου τὸ τρῆμ' ὅπως μὴ 'κδύσεται·
σὺ δὲ τῇ θύρᾳ πρόσκεισο.

ΞΑΝΘΙΑΣ. ΣΩΣΙΑΣ.

ταῦτ' ὦ δέσποτα.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ἄναξ Πόσειδον, τί ποτ' ἄρ' ἡ κάπνη ψοφεῖ;
οὗτος, τίς εἶ σύ;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

καπνὸς ἔγωγ' ἐξέρχομαι.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

καπνός; φέρ' ἴδω ξύλου τίνος σύ;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

συκίνου.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

νὴ τὸν Δί', ὅσπερ γ' ἐστὶ δριμύτατος καπνῶν.
ἀτὰρ οὐκ ἐσερρήσεις γε, ποῦ 'σθ' ἡ τηλία;

Iunt. Kust. neglecto metro. τι καταδ. Brunck. et recentiores. τις κ. Porson. (μῦς πολεῖ Crat. Iunt. 1540.)

v. 142. Sosiae in cod. B. et vulgo est. Xanthiae dedit Bergk. Vid. Proleg. p. 43. Οἰ. Ald. Iunt. Sequentem versum et particulam v. 144 Ald. Iunt. Kust. Sosiae continuant sive Οἰ.

v. 145. τίνος ξύλου vulgo et Hirschig. ξύλου τίνος R. et V. sec. Dind. (v. Bekk. ad h. v.: τίνος ξύλου V.) et recentiores reliqui.

v. 147. ἀτὰρ οὐκ ἐρρήσεις γε R. Iunt. ἀτὰρ οὐκ ἐσερρήσεις γε; vulgo, Hirschig. ἀτὰρ οὐ γὰρ ἐρρήσεις γε Dind. οὐκέτ' ἐρρ. Elmsl. Ach. 42, quod

v. 143. ἡ κάπνη: schol. ἡ καπνοδόκη· ἔστι δέ τι σωληνοειδὲς ἐπὶ τῶν μαγειρείων, δι' οὗ ὁ καπνὸς ἔξεισιν. vid. ad v. 126.

v. 145. φέρ' ἴδω et εἰπέ μοι initio interrogationis saepissime obveniunt.

ibid. συκίνου quid sibi velit, Bdelycleo versu sequenti dicit; alludi autem ad verbum συκοφάντης, apte monuit Berglerus, comparato Plut. 946. Ita Vesp. 897: κλῳὸς σύκινος, boia ficulnea, canis damnati poena, eadem ambiguitate utitur. Alia apud Mein. Com. III p. 65. Nostrum locum respicit Eustath. Odyss. p. 1719, 7. (Brunck.)

v. 146. νὴ τὸν Δί'. De νὴ Δία et νηδὶ copiose dixit Enger. Lys. 24. Rarius obvenit νὴ τὸν Δί' et μὰ τὸν Δί' pro νὴ Δί' et μὰ Δί'. Vltimam vocabuli Δία in arsi esse posse vel solere, etiam Meinekius Com. IV p. 37 negavit. cf. Engeri Praef. p. XXVII.

v. 147. ἡ τηλία: schol. τῇ κάπνῃ βούλεται ἐπιθεῖναι πῶμα τὴν τηλίαν. τηλία δὲ σανὶς βαθεῖα, ἐν ᾗ τὰ ἄλφιτα

δύου πάλιν· φέρ' ἐπαναθῶ σοι καὶ ξύλον.
ἐνταῦθά νυν ζήτει τιν' ἄλλην μηχανήν.
ἀτὰρ ἄθλιός γ' εἴμ' ὡς ἕτερος οὐδεὶς ἀνήρ,
ὅστις πατρὸς νυνὶ Καπνίου κεκλήσομαι.

ΣΩΣΙΑΣ.

σὺ δὲ τὴν θύραν ὤθει· πίεζέ νυν σφόδρα

dicere consuerint εἰσερρ. non ἐσερρ., nempe ante vocalem. Recepit Bergkius, omisso Elmsleio auctore. Reisig. Coni. p. 23 vulgatam probavit. Fritzsch. ad Thesmophor. 627: ἀπερρήσεις. Legendum ἀτὰρ οὐκ ἐσερρήσεις γε, interrogandi signo deleto.

v. 150. ἀλλ' ἄθλιος Vat. P. ἄθλιός γ' vulgo. ἕτερός γ' R. V. ἕτερος vulgo.

v. 151. νῦν R. V. Inv. recentt. — Reis. Coni. 109, ne prima verbi Καπνίου producatur, νῦν καί, quem sequutus Hirschig. νυνὶ scripsit, ut ante Invern. vulgo legebatur. De νυνὶ cum futuro vid. Wolf. Dem. Lept. p. 242.

v. 152—155. Reis. Coni. p. 237 et Bergkius post Beerium Bdelycleoni tribuerunt, equidem Sosiae vindicare studui, Proleg. p. 43, cui vulgo tribuebantur. Ol. Ald. Iunt.

v. 152. παῖ τὴν vulgo. Quum R. V. nihil habeant, Dindorf. Hirschig. lacunae

ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπίπρασκον. Corrigendum τηλία δὲ καὶ σανὶς β. e schol. Plut. 1037, nam multiplex est usus verbi, tabularum varias formas significantis, cf. Poll. IX, 108. Bekk. Anecd. p. 275, 15. Meinek. Com. II p. 503 sq. et Hemsterhus. ad schol. Plut. 1037. Brunck. ad v.

v. 147. ἐσερρήσεις. De regula Elmsleiana satis dixit Enger. Lys. v. 1 et 2. Schol. vero: οὐκ εἰσελεύσει μετὰ φθορᾶς. Photius s. v. ἐρρήσεις: μετὰ βίας εἰσελεύσῃ. Dind. „Qui ἐξελεύσῃ potius dicere debebant." Non crediderim. Namque de fumo in auras prodeunte atque evanescente, non de reprimendo agitur. Quare recte scholiasta μετὰ φθορᾶς: non prodibis ad evanescendum vel diffugiendum. Tum de fumo per fumarium ascendente bene dicitur ἐξέρχομαι v. 140, bene de fumo per auras diffuso ἐσερρήσεις. Sensus igitur: accedas ad operculum usque, certe tamen non prodibis altius.

v. 148. ξύλον. Ad omnes pertinet, et ad patrem, quod fumus est, et ad fumum, quod pater est, et ad operculum, quod utrumque operit. Schol. οὐ τῷ πατρὶ ἀλλὰ τῇ κάπνῃ. ἢ πρὸς τὴν τηλίαν, ἵνα ἐπιθῇ ξύλον εἰς βάρος διὰ τὰς τοῦ πατρὸς μηχανάς.

v. 149. ἐνταῦθα, i. e. ἔνδον (v. ad v. 110) sive in fumario sive in alia domus parte.

v. 151. Καπνίου. Ludit ambiguitate verbi, ita tamen ut de vino, qui καπνίας vocabatur, fere non cogitet, sed patrem, fumi instar summa levitate et perfidia usum, accusat, quod posthac Καπνίου nomen ut gestaret, effecerit. Spectatores tamen, audito Καπνίου nomine, vinum audiebant, maxime quia Dionysia celebrabantur. Cf. schol. et interprett. Bergk. Rel.

εὖ κἀνδρικῶς· κἀγὼ γὰρ ἐνταῦθ' ἔρχομαι.
καὶ τῆς κατακλεῖδος ἐπιμελοῦ καὶ τοῦ μοχλοῦ·
φύλαττέ θ' ὅπως μὴ τὴν βάλανον ἐκτρώξεται.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

τί δράσετ'; οὐκ ἐκφρήσετ' ὦ μιαρώτατοι
δικάσοντά μ'; ἀλλ' ἐκφεύξεται Δρακοντίδης.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

σὺ δὲ τοῦτο βαρέως ἂν φέροις;

signum malebant ponere. Equidem in Proleg. p. 43 σὺ δὲ supplendum esse conieci. Etiam Dind. σὺ τὴν suspicatur ad v. — τίς τ. θ. ὠ. Bergk. ed. II.

v. 154. καὶ τῆς κατακλεῖδος ἐπιμελοῦ καὶ τοῦ μοχλοῦ· φύλαττέ θ' ὅπως vulgo. φύλατθ' ὅπως Dindorf. φυλάττεθ' ὅπως Reisig. l. l. p. 237, quasi Bdelycleo, cui tribuit versus, haec ad ambos dixisset. καὶ τοῦ μοχλοῦ φύλατθ' ὅπως Bergk. καὶ τὸν μοχλὸν φύλατθ', ὅπως Hirschig. φύλατθ' Elmslei. Ach. 178. Vulgatam defendit Enger. Lys. praef. XXI. Eam ego quoque sine dubio praetulerim. Brevissima enim oportet mandata esse, quae servus servo in rebus tam angustis dat. Locus Thesm. 762 sqq., quem subsidio arcessivit Hirschigius, tantum verbum φυλάττω continet cum αὐτὸν iunctum, praeterea nihil.

κατάκλειδος V.

v. 156. ὦ μιαρώτατοι R. V. B. Δ. recep. Flor. Chr. Brunckius, reliqui. ὦ μιαρώτατε Ald. Iunt. Kust., probatum Reisigio C. p. 238. At Philocleo alium audit alium cohortantem. ὦ μιαρωτάτω proponebant Palmer. Bergler.

v. 157. δίκασον τί με vulgo, correxit Flor. Chr. Bergler. Reisk.

v. 158. 161. 163. 165 vulgo Bdelycleonis, a Bergkio praeeunte Beerio Xan-

Com. p. 66. Mein. Com. I p. 66. II p. 224.

v. 154. κατακλεῖδος: cfr. Poll. X, 22, quo loco ianuae partes enumerat, et schol. ad v. Apparet vero κατακλεῖδος totam significare seram, cuius partes singulae nominantur μοχλὸς et βάλανος. Superest ἡ βαλανάγρα, qua recluditur vel retrahitur ἡ βάλανος, de qua schol. ad h. v. De talibus rebus antiquitatum scriptores, C. F. Hermannus, Beckerus, admodum pauca et tenuia attulerunt. — ἐκτρώξεται, quum senex muris instar in omnes prorepat partes corrodatque omnia, licet non habeat dentes. v. 165. — Infra v. 366 διατραγεῖν, v. 370 διατέτρωκται, v. 164 διατρώξομαι, Av. 655 διατραγόντ'.

v. 157. Δρακοντίδης: schol. R. πονηρὸς οὗτος. Addit Ven. καὶ πλείσταις καταδίκαις ἐνεχόμενος, ὡς Πλάτων Σοφισταῖς. Cf. Mein. C. I p. 185. II p. 663. Reliqua de Dracontide, ex trigintaviris uno, huc non pertinent. Cf. Plut. vit. Pericl. 32 p. 169 e (Fl. Chr.). ἐκφεύγειν et ἀποφεύγειν proprie de reo absoluto usurpantur; v. infra v. 994. 997.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

ὁ γὰρ θεὸς
μαντευομένῳ μοὔχρησεν ἐν Δελφοῖς ποτε,
ὅταν τις ἐκφύγῃ μ', ἀποσκλῆναι τότε.

ΣΩΣΙΑΣ.

Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, τοῦ μαντεύματος.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

ἴθ', ἀντιβολῶ σ', ἔκφρες με, μὴ διαρραγῶ.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

μὰ τὸν Ποσειδῶ, Φιλοκλέων, οὐδέποτέ γε.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

διατρώξομαι τοίνυν ὀδὰξ τὸ δίκτυον.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἀλλ' οὐκ ἔχεις ὀδόντας.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

οἴμοι δείλαιος·

thiae tribuuntur. Equidem v. 161 et 165 Sosiae dedi, vid. Proleg. p. 44. Ald. Iunt. Kust. v. 158—160 Bdelycleoni dederunt, omisso interrogandi signo post φέροις.

v. 158. νυν Bergk. ed. II.

v. 160. ἀποσκλῆναι ἂν τότε vel τότ' ἂν propon. Lenting.

v. 161. Philocleonis est ante Reiskium et Brunckium.

v. 162. ἐκφερέ με R. V. vulgo et Fritzsch. ad Ran. 170. ἔκφρες Dind. Hirsch. Bergk.

v. 164. τοίνυν γ' vulgo ante Brunckium.

v. 165. Personae signum abest in Ald. Iunt.; Βδε. Crat. Frob. Sosiae dedi, quod filium talia dicere ne in comoedia quidem decet, nisi ita sit educatus ut Phidippides Strepsiadis filius.

v. 159. Ad μοὔχρησεν cf. Pors. ad Eccl. 410, Reis. Synt· crit. p. 26; ad ἀποσκλῆναι v. 160 Cobet V. L. p. 53 et Elmslei. ad Oed. Col. p. 96. schol.: ἀποθανεῖν, ἀποξηρανθῆναι.

v. 161. Ἄπολλον ἀποτρόπαιε: cf. Av. 61, ubi additum τοῦ χασμήματος, Plut. 359. 854. Est nostrum: „Gott sei bei uns.“ De τοῦ μαντ. cf. Reis. Coni. p. 265.

v. 164. διατρώξομαι: schol. νῦν πάλιν· διὰ τοῦ δικτύου φαίνεται ἄνω παρὰ τὴν καπνοδόκην. Non ita: etiam fenestrae domus retibus obstrictae erant. Per fenestram senex cum servis altercatur.

πῶς ἂν σ' ἀποκτείναιμι; πῶς; δότε μοι ξίφος
ὅπως τάχιστ' ἢ πινάκιον τιμητικόν.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἅνθρωπος οὗτος μέγα τι δρασείει κακόν.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ', ἀλλ' ἀποδόσθαι βούλομαι
τὸν ὄνον ἄγων αὐτοῖσι τοῖς κανθηλίοις.
νουμηνία γάρ ἐστιν.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

οὔκουν κἂν ἐγὼ
αὐτὸν ἀποδοίμην δῆτ' ἄν;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

οὐχ ὥσπερ γ' ἐγώ.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

μὰ Δί' ἀλλ' ἄμεινον. ἀλλὰ τὸν ὄνον ἔξαγε.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἵαν πρόφασιν καθῆκεν, ὡς εἰρωνικῶς,

v. 166. δότε μοι R. V. B. Brunckius; antea vulgo δότε.
v. 167. τι τμητικὸν Dawes. M. Cr. p. 263, refutatus a D'Orvillio Charit. p. 681.
v. 168. ἄνθρωπος libri, ἅνθρωπος Dind. Hirschig. Bergk. — δρασείει R. Bentl. Reisk. Bergl. Dawes. δράσειε, δράσειεν vulgo.
v. 171. κἂν ἐγώ R. V. Iunt. Inv. reliq. καὐτὸς ἂν Vat. P. Ald. Kust. Brunck.
v. 172. γ' om. R. V. C. Iunt. Frob. Kust. add. Reisk. Brunck. γ' cod. Vat. P. Ald. Crat.
v. 173. Φιλ. ἀλλὰ — Bergk. ed. II.
v. 174. Οἵ. Ald. Iunt. Kust.

v. 167. πινάκιον τιμητικόν: vid. Proleg. p. 15 sq.

v. 168. Servus servo acclamat, quum Philocleonem audiant talia minantem; itaque Xanthiae dedi. Ad formam δρασείει cf. Valcken. Phoen. 1214 et supra ad v. 125. ad τι D'Orvill. Char. p. 35 sq.

v. 170. αὐτοῖσι τοῖς κανθηλίοις. Ita sine σὺν αὐτός, quum significat *ipsum*, usurpatur ut v. 119: αὐτῷ τυμπάνῳ, omisso articulo, infra v. 1449, alibi saepissime, cf. Elmsl. Med. p. 109 v. 160. Krüg. Gr. Gr. §. 48, 15, 19.

v. 171. νουμηνία: schol. ἔθος ἦν Ἀθήνησιν ἐν νουμηνίᾳ πιπράσκειν. Iam filius est, qui de tecto vel de coenaculo patrem rogat, an ipse possit asinum cum clitellis vendere.

v. 174. Ad πρόφασιν cf. Fritzsch.

ἵν' αὐτὸν ἐκπέμψειας.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ἀλλ' οὐκ ἔσπασεν
ταύτῃ γ'· ἐγὼ γὰρ ᾐσθόμην τεχνωμένου.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἀλλ' εἰσιών μοι τὸν ὄνον ἐξάγειν δοκῶ,
ὅπως ἂν ὁ γέρων μηδὲ παρακύψῃ πάλιν.
κάνθων, τί κλάεις; ὅτι πεπράσει τήμερον;
βάδιζε θᾶττον. τί στένεις; εἰ μὴ φέρεις
'Οδυσσέα τιν'.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἀλλὰ ναὶ μὰ Δία φέρει
κάτω γε τουτονί τιν' ὑποδεδυκότα.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ποῖον; φέρ' ἴδωμεν.

v. 175. ἵνα θᾶττον V. vulgo. ἵν' αὐτὸν R. et recentiores praeter Bergkium, qui servavit ἵνα θᾶττον.
v. 176. ταύτῃ γε vulgo. Proverbium et amicum auctorem, ut ait, secutus Hirschig. in textum recepit αὕτη γ'. At schol. V. explicat τῇ προφάσει.
v. 177—180 vulgo Bdelycleonis, cum Bergkio Xanthiae dedi; v. 181 et 182 Sosiae dedi, qui vulgo Xanthiae sunt, a Bergkio Bdelycleoni continuantur.
v. 177. ἐξάξειν coniecit Elmslei. Eur. Med. p. 284. v. 1322. — ἔξαγ' ἔνδοθεν. | ὅπως δ' ὁ γέρων μὴ τῇδε π. π. Bergk. ed. II.
v. 181. 'Οδυσσέα τιν' Elmslei. Acharn. 127. 'Οδυσσέα τινά γ' vulgo. — Οἰ. Ald. Iunt.
v. 183. ἴδωμαι R. V. vulgo. cf. Bergk. Rel. Com. p. 156. Hirschigius, quod ἴδωμαι pro ἴδω non esset dictum, coniecit φέρ' ἴδω. Ξ. ναὶ τουτονί.

Daet. p. 115. — εἰρωνικῶς: schol. πανούργως.

v. 175. οὐκ ἔσπασεν. Ad Xanthiae verba πρόφασιν καθῆκεν, quod dicitur ἄγκιστρον καθιέναι, Bdelycleo respondet οὐκ ἔσπασεν. Schol. οὐκ ἐπέτυχε. παρὰ τὴν παροιμίαν (Thesm. 928)· αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν. Similiter nos: Das zieht nicht. Bergler. comparat Eur. El. 582. cf. Iacobi ap. Mein. C. V s. σπῶ et lexicographi.

v. 178. παρακύψῃ, scilicet cum asino una progrediens, sive dum asellus prodit, alia profugiens.

v. 179. κάνθων, ita Trygaeus scarabaeum suum (κάνθαρον, vid. schol.) alloquitur Pac. 82. — τί κλάεις: schol. κατὰ μίμησιν τοῦ 'Οδυσσέως ὑπὸ τοῦ κριοῦ φερομένου.

v. 183. Bdelycleo de tecto incipit cum patre disceptare, postquam verbis φέρ' ἴδωμεν vel ἴδωμαι servos asinum paullulum producere iussit.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

τουτονί.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

τουτὶ τί ἦν;

τίς εἶ ποτ' ὤνθρωπ' ἐτεόν;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

Οὖτις νὴ Δία.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

Οὖτις σύ; ποδαπός;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

'Ιθακὸς 'Αποδρασιππίδου.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

Οὖτις; μὰ τὸν Δί' οὔτι χαιρήσων γε σύ.

Atqui Cratinus dixit ὁρῶμαι ap. Hephaest. de metr. 8 p. 46, Mein. Com. II p. 94. Tum vero ναὶ τουτονὶ admodum languet. Cogitabam, ἴδωμεν legendum aut ἴδωμαι servandum esse. Servus saltem tantum τουτονὶ dixit.
v. 184. ὤνθρωπ' R. V. B. Δ. (ὦ 'νθρωπ') Brunck. reliqui. Antea vulgo ἄνθρωπ'. ὦ 'νθρωπ' etiam Dawes. M. cr. p. 265.
v. 185. Οὗτος Ald. Iunt. Kust. Post Brunckium ex cod. R. V. B. Δ. οὔτις: ita in reliquis duobus locis οὔτις, post Bekkerum οὖτις. Scribendum censeo Οὖτις. Οὖτις etiam Bentlei. et Dawes.
v. 185. ἀπὸ Δρασιππ. vulgo. Correxit Elmslei. ad Acharn. 563. receperunt Dind. Hirschig. Bergk.
v. 186. χαιρήσων γ' ἔσει vulgo ante Bekkerum et Hirschigius. Cod. V.

v. 184. ἐτεόν: usitatissimum interrogationum verbum, quum dubitanter quaeritur: cf. Nub. 35. 93. 820. 1502. Eq. 32. 733. 1246. 1392. Vesp. 8. 836. Av. 393. Eccl. 376. Ach. 322. 609. Vbique nostro: wirklich vel: denn in Wahrheit reddi potest. — τουτὶ τί ἦν pro ἐστι, non tam propter metrum, quam quum primi adspectus vis tam subita et improvisa est, ut eodem vestigio praeteriisse videatur. Eadem prorsus ratione nos in simili casu de praesenti re quaerere solemus obstupefacti vel admirati: Was war das?

v. 185. Quum notissimam Vlixis et Polyphemi fabulam Comicus his versibus imitaretur, usus est opinor ter verbo Οὖτις, i. e. Nemo iste, quem nostis omnes.

'Αποδρασιππίδου: schol. πέπλακε τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἀποδρᾶναι, ὥσπερ ἀπὸ φυλῆς ἢ ἀπὸ γένους φάσκων. Tantum de genere, non de pago cogitari forma verbi iubet. Verterunt tamen: Ithacus ex Fugacia; quum sit Fugacis filius. An legendum ἀπὸ Δρασιππιδῶν? Comparat Dind. Ran. 1014: διαδρασιπολῖται.

v. 186. Praestat interrogatio Οὖτις; Tune iste Nemo? aut Nihilusne iste?

ὕφελκε θᾶττον αὐτόν. ὦ μιαρώτατος,
ἵν' ὑποδέδυκεν· ὥστ' ἔμοιγ' ἰνδάλλεται
ὁμοιότατος κλητῆρος εἶναι πωλίῳ.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

εἰ μή μ' ἐάσεθ' ἥσυχον, μαχούμεθα.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

περὶ τοῦ μαχεῖ νῷν δῆτα;

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

περὶ ὄνου σκιᾶς.

γε σὺ ἔσει, R. γε σὺ, quem sequuntur recentiores editores. Fritzschius Thesm. 1094 obiter coniecit: Οὔτοι μὰ τὸν Δί', Οὔτι, χαιρήσων γε σύ. οὔτι etiam Reisig. servavit Coni. p. 297. Elmsl. Acharn. 563 ita legit: Οὔτις (Οὔτις); μὰ τὸν Δί' οὔτι χαιρήσων γε σύ, quod recepi. Valcken. ad Eurip. Hipp. 1065 ἔσει, quod retinuit, ab ἐσιέναι derivandum esse opinatur, ut sit „ingredieris". Atqui Attici tantum εἴσει, nunquam ἔσει dixerunt. Dobraeus Brunckio assentiebatur: Οὔτις, μὰ τὸν Δί', οὔτι χαιρήσων γ' ἔσει: prius proponebat οὔτοι, μ. τ. Δ., Οὔτι, χ. γ' ἔσει, postea vero χ. γε σύ.

v. 190. ἡσύχως R. V. Invern. Bekk. Bergk. ἥσυχον vulgo. Vtrumque convenit, ad utrumque vel πορεύεσθαι vel ἐλαύνειν subaudiendum.

v. 190. ἐάσηθ' Ald. Iunt. Kust. soloecismo sollemni, quem profligare strenue contendit Brunckius.

v. 191. μάχει R. V. C. Inv. Brunck. μάχῃ Ald. Iunt. Kust. μαχεῖ Dind. Bekk. Hirschig. Bergk.

at hercle, nihilum tu vero cum voluptate tua.

v. 187. ὕφελκε: servo imperat Bdelycleo, item sequentia, quasi patre non praesente, servo dicuntur. Quod mihi haud exiguo tenuive argumento est, Bdelycleonem nondum descendisse.

v. 188. ἵν': schol. ὅπου. Supplendum τοῦ τόπου vel τοῦ θηρίου: ὦ μιαρώτατος τοῦ θηρίου, ἵν' ἀποδέδυκεν. Aut cum interiectionis signo pronunciandum est, ut interpretes quidam latini verterunt: „Impurissimus iste, quorsum subierat!"

v. 189. πωλίῳ. Comparat filius patrem cum pullo subrumo, qui matrem subiit sugitque ubera. Asella vero κλητὴρ vocatur, quod et ipsa καλεῖν i. e. rugire amat, et quod pullum nutrit κλητῆρα: ut schol. κλητῆρος εἶπεν εἰς φιλοδικαστήν. Aut filius omnia perversa esse dicit: asino enim vel equo vehi solebant οἱ κλητῆρες, quando quis rure vocandus erat. Itaque filius patrem asinum esse, asinum vero tanquam κλητῆρα patre vehi dicit. cf. Av. 147. 1422 et schol. ad h. v. De κλητὴρ cf. Schoem. Att. Pr. p. 576 sqq.

v. 191. περὶ ὄνου σκιᾶς. De no-

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

πονηρὸς εἶ, πόρρω τέχνης καὶ παράβολος.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

ἐγὼ πονηρός; οὐ μὰ Δί' ἀλλ' οὐκ οἶσθα σὺ
νῦν μ' ὄντ' ἄριστον· ἀλλ' ἴσως, ὅταν φάγῃς
ὑπογάστριον γέροντος ἡλιαστικοῦ.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ὦθει τὸν ὄνον σὺ καὐτὸν εἰς τὴν οἰκίαν.

ΦΙΛΟΚΛΕΩΝ.

ὦ ξυνδικασταὶ καὶ Κλέων ἀμύνατε.

v. 196. εἰς R. V. Bekk. Bergk. ἐς Brunck. Dind. Hirschig. vid. supra. καὶ σαυτὸν vulgo, lego ὤθει τὸν ὄνον σὺ καὐτὸν εἰς τὴν οἰκίαν. Nempe ad Xanthiam haec.

tissima re cf. schol. Mein. Com. IV p. 113. I p. 208. Archippi fabulam, quae hoc nomine usa est, vid. ap. Mein. C. II p. 724. Ceterum, quum se Οὖτιν appellari dixerit, egregie addit, περὶ ὄνου σκιᾶς, i. e. de nihilo se pugnaturum.

v. 192. πόρρω τέχνης. Credo interpungendum esse: πόνηρος εἶ, πόρρω τέχνης καὶ π. Sales patris filius improbat, πόρρω τέχνης igitur signif. *insulsus*, ut apud Hippocratem epist. 9, quem Berglerus laudavit, πόρρω σοφίης insipiens. Cui oppositum, quo saepius Noster utitur, πάσῃ τέχνῃ Eq. 592. Nub. 885. 1322. Lys. 412. Eccl. 366. 534. Contra schol.: οὐκ ἀπὸ τέχνης τινὸς πονηρὸς εἶ οὐδ' ἀπὸ μελέτης, ἀλλὰ φύσει. — παράβολος: V. οὐ γνήσιος, Vict. τολμηρός.

v. 193. πονηρός. Filius quum dixisset improbum, ineptum atque insulsum patrem esse, pater novis salibus respondet: πονηρὸς etiam eo sensu repetit, quo explicavit scholiasta R. λέγουσί τινες καὶ πονηρὰ κρέα ἀντὶ τοῦ σαπρά. Qui quum nunc pullus sit asellae atque asellis vescantur Athenienses, ambiguitate verbi ἄριστον ludit, quod significat et optimum et prandium. Iam vero ὑπογάστριον γέροντος ἡλιαστικοῦ ipsius, quam eduxerat, belluae sumen; quod quum ista soleat vehi, suum nunc dicit sumen. Itaque senex pervertit omnia, modo se modo belluam intelligi iubens. Potest quoque, quod Berglerus censet, γέροντος ἡλιαστικοῦ nunc asini esse appellatio, ut supra κλητῆρος: tum ὑπογάστριον aut pullum significat aut senem, qui pulli vices agit. Scholiastae contra ita explicarunt, ut latini interpretes reddunt: „ego improbus? non profecto: sed tu nescis nunc, me esse virum optimum: forte tamen quando comedes sumen, quod dabit senex heliasticus, tum scies" (Bergl.). Melius scholiasta: ἐπεὶ δικαστής ἐστιν, ἔφη γέροντος ἡλιαστικοῦ ἀντὶ τοῦ ὄνου.

v. 197. Κλέων: schol. ἐπεὶ ὁ Κλέων ἐδόκει μισθοὺς πορίζεσθαι τῷ λεπτῷ δήμῳ. Cleo, senum iudicum amicissimus, arcessitur v. 409, ut ipse Eq. 255 senum iudicum auxilium implorat.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ἔνδον κέκραχθι τῆς θύρας κεκλεισμένης.
ὤθει σὺ πολλοὺς τῶν λίθων πρὸς τὴν θύραν,
καὶ τὴν βάλανον ἔμβαλλε πάλιν εἰς τὸν μοχλόν,
καὶ τῇ δοκῷ προσθεὶς τὸν ὅλμον τὸν μέγαν
ἀνύσας τι προσκύλισον.

ΣΩΣΙΑΣ.

οἴμοι δείλαιος·

v. 201. προσθεὶς vulgo, πρόσθες Brunckius, puncto post μέγαν posito. Tum vix intelligas ἀνύσας τι προσκύλ. τὴν δοκὸν προσθείς Dobraeus propon.
v. 202. προσκύλιε R. V. Hirschig. προσκύλιέ γ' vulgo. Cobet. V. L. p. 153 (cf. Mnemos. I. l. p. 423.) προσκύλισον, prob. Bergk. ed. II. In fragmento comici alicuius ap. Diog. Laert. II, 108, Mein. Com. IV p. 618, κυλίων exstat, apud Nostrum praeter hunc versum κυλίνδειν et κυλίνδεσθαι. Itaque ut inopportunum γε, quod cod. R. non habet, propellerem atque hiatum evitarem, Cobeti coniecturam recepi. — προσκύλι'. ἰώ μοι Dobraeus.
v. 202. Οἰ. Ald. Iunt., Sosias Kust., Xanthiam haec loquentem fecit Bergk. vid. Proleg. p. 44, ibid. de reliquorum versuum distributione. — ὤιμοι R. ὤμοι Ald. Iunt. Kust. οἴμοι V. Brunck. reliqui.

v. 198. Senex propulsus est intra parietes, porta recluditur. Verum hoc servorum ope factum est, sene quam maxime invito ac repugnante. Quare filius id, quod vulgo legitur, patri imperare non potest, ut asinum et semet ipsum in domum trudat. Servorum uni vel utrique hoc imperatur ut reliqua, versu 199 sq. enumerata. Legendum igitur pro καὶ σαυτὸν — σὺ καὐτόν.

v. 199. πολλοὺς τῶν λίθων. Compara v. 148: ἐπαναθῶ καὶ ξύλον: ad genetivum λίθων cf. Elmsl. Ach. 350.

v. 200. v. ad v. 155.

v. 201. τῇ δοκῷ: schol. αὐτῇ δὲ τῇ δοκῷ τὸν ὅλμον. κατὰ φύσιν δὲ ἦν μᾶλλον εἰπεῖν, καὶ τὴν δοκὸν προσθείς. Primum claudere ianuam iubetur more solito, tum vectem apponere transversum, quo usos esse cives consentaneum est, quum omnes foris sunt neque redeunt ipso die, denique magnum insuper mortarium obvolvere ianuae, iam lapidibus obtectae. E variis voculae ὅλμος significationibus ea maxime arridet, quae in schol. v. 238 prostat: στρογγύλος λίθος ἐν ᾧ κόπτουσιν ὄσπρια καὶ ἄλλα τινά. Non videtur multum abhorrere a nostro „Hauklotz“, licet ex lapide fuerit caudex Atticus.

v. 202. προσκύλιε: schol. δηλῶν τὸ μέγεθος τοῦ ὅλμου, ὅν φησι κάτω πρὸς τῇ ἀρχῇ τοῦ ἀντιβάτου προσθεῖναι i. e. τοῦ δοκοῦ. τῇ ἀρχῇ = ad infimum vectem; summum enim vectem ad ianuam appositum, infimum in terra defixum esse scholiasta intelligit.

πόθεν ποτ' ἐμπέπτωκέ μοι τὸ βωλίον;

ΞΑΝΘΙΑΣ.

ἴσως ἄνωθεν μῦς ἐνέβαλέ σοί ποθεν.

ΣΩΣΙΑΣ.

μῦς; οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ὑποδυόμενός τις οὑτοσὶ
ὑπὸ τῶν κεραμίδων ἡλιαστὴς ὀροφίας.

ΞΑΝΘΙΑΣ.

οἴμοι κακοδαίμων, στροῦθος ἀνὴρ γίγνεται·
ἐκπτήσεται.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ποῦ, ποῦ 'στί μοι τὸ δίκτυον;
σοῦ, σοῦ, πάλιν σοῦ. νὴ Δί' ἦ μοι κρεῖττον ἦν
τηρεῖν Σκιώνην ἀντὶ τούτου τοῦ πατρός.

v. 206. κεραμίδων vulgo. κεραμίων Poll. X, 182. ὑπὸ τὸν κεραμιδῶν' i. e. tectum Reisk.

v. 207—210 vulgo Xanthiae. Reiskius et Bentlei. v. 209. 210 Bdelycleoni dederunt, eosdem a verbis νὴ Δί' Brunckius, quem refellere conabatur Hotibius. Bergkius contra omnes Bdelycleoni. Reliqui Brunckium sequuti sunt. — In Ald. Iunt. ubique Οἰ. praefixum.

v. 207. στρουθὸς vulgo. στροῦθος Dind. ex Herodiano π. μον. λέξ. p. 42, 14 et schol. Av. 876. rec. Bergk.

v. 209. 210 Bdelycleoni restituit Reiskius, primus recepit Brunck. Οἰ. Ald. Iunt. Ξα. Kust. continuant.

v. 206. ὀροφίας: schol. παρὰ τὸ μῦς ὀροφίας. Videt senem per foramen aliquod in tectum ascendentem, retia perrupturum.

v. 207. Xanthiam haec loqui, et verbum ἐκπτήσεται, quod procul stantis est, quippe qui auxilio adesse non valeat, et ipse scholiasta indicat: ἐπειδὴ ἀναπηδᾷ ὁ γέρων, ταῦτά φησιν ὁ οἰκέτης. — 'Εκπτήσεται autem ad Bdelycleonem pertinet, qui aut quid servi agant animadvertens, aut animum relaxaturus assidet secure. Iam filius clamat: ποῦ 'στί μοι τὸ δίκτυον; quod servi non est neque decet eum, dicere μοι τὸ δίκτυον. Ita herum olent quam maxime haec verba.

v. 209. σοῦ: schol. ὡς εἰώθαμεν τὰ ὄρνεα σοβεῖν. Ita nos in simili casu: schu, schu! Optime vero σοῦ convenit cum ἐκπτήσεται et δίκτυον. Ita ubique Noster imaginem coloribus perfectam atque absolutam reddit. Itaque de Vespis propellendis infra v. 458 σοῦσθ'.

v. 210. Σκιώνην: cf. Thuc. IV, 120. Anno ante Vesparum didascaliam Isarcho archonte ad Brasidam descierat, teste Philochoro ap. scholiastam, vid. Muelleri Fragm. hist. Graec. I p. 401.

ΣΩΣΙΑΣ.

ἄγε νυν, ἐπειδὴ τουτονὶ σεσοβήκαμεν,
χοὐκ ἔσθ' ὅπως διαδὺς ἂν ἡμᾶς ἔτι λάθοι,
τί οὐκ ἀπεκοιμήθημεν ὅσον ὅσον στίλην;

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ἀλλ' ὦ πονήρ' ἥξουσιν ὀλίγον ὕστερον
οἱ ξυνδικασταὶ παρακαλοῦντες τουτονὶ
τὸν πατέρα.

ΣΩΣΙΑΣ.

τί λέγεις; ἀλλὰ νῦν ὄρθρος βαθύς.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

νὴ τὸν Δί' ὀψὲ νῦν ἀνεστήκασι γάρ.
ὡς ἀπὸ μέσων νυκτῶν γε παρακαλοῦσ' ἀεί,

v. 211. Sosias vulgo post Kusterum, Bergk. Xanthiae tribuit.
v. 217. ὀψὲ γὰρ — νῦν R. V. C. Iunt. Bekker. γοῦν — γε B. Δ. Ald. Bergl. γὰρ — γε Crat. γοῦν — νῦν Kuster. Brunck. Invern. Hirschig. νῦν — γὰρ Reis. Coni. pr. VII. Dind. γ' ἄρ' (non interrogative) Pors. Dobraeus Advers. τἄρ' Bergk. sec. Lentingium. Verum vidit Reisigius.
v. 218. γε παρακαλοῦσ' R. V. C. Inv. Bekk. Dind. Hirsch. Bergk. παρα-

Hinc, ut recte ait Berglerus, vult dicere eam difficile esse custodire. — Ceterum Noster procul dubio ludit, quum antea luserit verbis καπνὸς et ὄνου σκιᾶς, et σκιαμαχεῖν, quo utitur Plato in Apologia p. 18 d, fortasse usitatum his temporibus verbum de labore difficili atque inani; cf. Cratini versus apud Suidam s. v. ἀποκτιννύναι et Bekker. Anecd. p. 429, 23, quos ingeniose constituit Mein. Com. IV p. 30.

v. 211. Si quidem Sosiam cum hero confabulari concedamus, Xanthias iterum ad stationem revertisse et paullisper ἀπομερμηρίσαι coepisse existimandus erit.

v. 213. τί οὐκ ἀπεκοιμήθημεν. Porson. ad Eur. Orest. 581 coniecit κατεκοιμήθημεν. Dobraeus vulgatam bene defendit. Est enim idem quod supra v. 7 ἀπομερμηρίσαι, sive secundum Dobraeum φυλακὴν καταλύειν. Porsono Photius s. v. στίλην lectionem suppeditavit. cf. Eupolidis vers. apud Plut. Cimon. c. 15, Mein. Com. II p. 512. Verum aoristus per se non placet, certe exemplis careo: quare suspicabar: ἀποκοιμώμεσθά γ' vel ἀποκοιμώμεσθ' ὅσον γ' ὅσον σπίλην. — ib. στίλην: Vict. τὸ οὐδὲν καὶ τὸ τυχόν. ἔστι δὲ ὁ σταλαγμός. Nos quoque: ein Tröpfchen, Fünkchen, vel quum Callistratus explicuerit νομισμάτιόν τι ἐλάχιστον: für einen Pfennig, Heller etc.

v. 216. ὄρθρος βαθύς. Ita Plato in Critone p. 43 a.

v. 217. Sedem voculae γὰρ Porson. infr. v. 744 exemplis defendit satis; id. Lys. 20.

λύχνους ἔχοντες καὶ μινυρίζοντες μέλη
ἀρχαιομελεσιδωνοφρυνιχήρατα,
οἷς ἐκκαλοῦνται τοῦτον.

ΣΩΣΙΑΣ.

οὐκοῦν, ἢν δέῃ,
ἤδη ποτ' αὐτοὺς τοῖς λίθοις βαλλήσομεν.

ΒΔΕΛΥΚΛΕΩΝ.

ἀλλ' ὦ πονηρὲ τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ
τὸ τῶν γερόντων, ἔσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ.
ἔχουσι γὰρ καὶ κέντρον ἐκ τῆς ὀσφύος
ὀξύτατον, ᾧ κεντοῦσι, καὶ κεκραγότες
πηδῶσι καὶ βάλλουσιν ὥσπερ φέψαλοι.

καλοῦσίν γ' ἀεὶ Brunck. παρακαλοῦντές μ' ἀεὶ Ald. Iunt. Kust. An παρεκκαλοῦσ' pro γε παρακ.? ita etiam Lenting.

v. 220. Aristarchus sec. schol. legit ἀρχαῖα μελισιδωνοφ. item — μελι Suidas s. v. ἀρχαῖος et μινυρίζω. Cod. R. servavit Aristarchi lectionem ex parte: ἀρχαῖα μελησιδ. Libri impressi ἀρχαιομελησ. ante Dindorfium, qui in Oxoniensi — μελη — in Parisiensi — μελι — scripsit; — μελι — Bergk., — μελη — revocavit Hirschig. Dobraeus in Advers. dubitanter: an ἀρχαιομελῆ Σιδωνοφρυνιχήρατα? Cobetus post Aristarchum ἀρχαῖα μελισιδων. Quid? si legamus ἀρχαῖα μέλη, Σιδωνοφρυν., ut bis positum sit μέλη? Quod optime dixerit is, qui somnum capere parat. Tum vero — μελε — non — μελη — fuit scribendum. Pro — δωνο — cod. Vat. P. — δωρο —.

v. 226. κεκραγότες: malim τετριγότες.

v. 220. ἀρχαιομελεσιδ. Secundum Aristarchum apud schol. compositum verbum est ἀπὸ τοῦ μέλι καὶ τοῦ Σιδῶνος καὶ τοῦ Φρυνίχου καὶ τοῦ ἐρατόν. Secundum alios πεποίηται ἡ λέξις παρὰ τὸ ἀρχαῖον καὶ τὸ μέλος καὶ τὸ Σιδὼν καὶ τὸ Φρύνιχος καὶ τὸ ἐρατόν. De Phrynicho schol.: τραγῳδίας ποιητής, ὃς ἔγραψε δρᾶμα Φοινίσσας, ἐν ᾧ μέμνηται Σιδωνίων. τὰ δὲ μέλη (leg. τὸ δὲ μέλι) εἶπε διὰ τὴν γλυκύτητα τοῦ ποιητοῦ. cf. Valcken. Eur. Phoen. 210. Mein. Com. I p. 49; IV p. 632.

v. 222. Ad τοῖς vid. Reis. Coni. p. 44 et p. 210.

v. 224. σφηκιᾷ: schol. ἀντὶ τοῦ σφηκώδεις εἰσὶ καὶ κεντρώδεις.

v. 225. ὀσφύος: vid. Prol. p. 56 sqq.

v. 227. φέψαλοι: schol. σπινθῆρες, idem signif. Ach. 666. Lys. 107 φιψάλυξ, sed Ach. 278 fumum.

ΣΩΣΙΑΣ.

μὴ φροντίσῃς· ἐὰν ἐγὼ λίθους ἔχω,
πολλῶν δικαστῶν σφηκιὰν διασκεδῶ.

v. 228. ἐὰν ἐγὼ R. V. Iunt. Frob. ἐάν περ ἐγὼ Vat. P. vulgo, Porson. ἐὰν ἐγὼ post Bekkerum recentiores et Elmsl. Ach. 127. Dobraeus proponebat: ὡς ἐὰν ἅπαξ (quum versu 892 legeretur ὡς ἡνίκ' ἂν) λίθους ἔχω — quasi prima syllaba voculae ἐάν posset in arsi esse, quod exemplis caret; atque idem: ἢν μόνον (in Advers.). Alii suspicabantur ἐὰν γάρ. Reisk. γε. Verum Dindorfius exemplis luculentissimis ad h. v. allatis demonstravit, alteram syllabam produci ante vocales neque opus esse perpetuo isto remedio inculcandae particulae γέ. Comparavit Vesp. 1231. Plut. 126. 481. 482; tum e Sophocle Oed. Col. 1407 ex Elmsleii emendatione. Locis comicorum, quos ex Athenaeo attulit, addas Stob. Floril. 27, 8 ex Antiphane, ἐὰν ἐπιορκήσῃ τις, Mein. Com. II p. 149; Comp. Menandri et Philem. p. 361: ἐὰν ἀγαθοῦ, Mein. Com. IV p. 240. Atque in v. Antiphanis ap. Athen. III, 123 b. Mein. Com. III p. 97: ἐὰν ἄρα scribendum, omisso δ'.

v. 229. De discrimine verborum σφηκίας et σφηκιά vid. Mein. Com. II p. 353. Haec vero ubi Sosias loquutus, in statione pristina versatur, i. e. ante fores assidet cum Xanthia iamiam somno sopito ipse e vestigio dormiturus. Eadem igitur omnia sunt atque initio fabulae fuerunt: filius in coenaculo, servi duo ante aedes, recubantes omnes multa adhuc nocte, pater vero senex intus μυσπολῶν, ubique exitum vel quaerens vel tentans. Temporis aliquantum praeterlabi opus est, altum est silentium, deserta, ut videtur, omnia. Tum chorus senum, multa obtectus caligine prodit cum pueris, qui lucernis, quas gestant, vix lucis aliquid faciunt.

ΧΟΡΟΣ. ΠΑΙΔΕΣ.

ΧΟΡΟΣ.

Χώρει, πρόβαιν' ἐρρωμένως· ὦ Κωμία βραδύνεις;
μὰ τὸν Δί' οὐ μέντοι πρὸ τοῦ γ'· ἀλλ' ἦσθ' ἱμὰς κύνειος·
νυνὶ δὲ κρείττων ἐστί σου Χαρινάδης βαδίζειν.
ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν,

v. 233. „Haec vix integra; conieci sed dubitanter: Εὐεργίδης πάρεστί που 'νταυθὶ Χάβης θ' ὁ Φλυεύς | ὦ Στρ. Κ., β. σ., | πάρεσθ' κτλ.“ Bergk. ed. II.

v. 230. Κωμία: propter sequentem versum ut κωμάζειν, κῶμος similia nomini subesse credamus, prope est.

v. 231. ἱμὰς κύνειος: schol. R. ἀντὶ τοῦ ταύρειος κύνειος εἶπε παρ' ὑπόνοιαν. ἀσθενέστεροι δὲ οὗτοι τῶν βοείων. Quem sequutus Flor. Chr. explicat lorum e pelle canina factum; melius contra Schneiderus ad Xen. opusc. pol. p. 520 lorum, cui alligati canes educantur ad venatum; neque tamen sufficit. Est enim lorum caninum, i. e. quo caeduntur canes: Hunderiemen, Iagdpeitsche. Quod quum ex corio esset factum, forte erat et durum. Quare cod. R. ἔντονός τις καὶ ἰσχυρός. Simul tale lorum, quod manibus venatoris vibratur, celeritatis signum. Itaque: du warst sonst flink und stark, vel: du zogst an, wie ein Hundekantschu. cf. Elmsl. Ach. 724.

v. 232. Χαρινάδης: schol. εὑρίσκεται περὶ δικαστήρια καὶ δίκας. Nempe hoc tantum loco. In Pace 1155 senex est dignus qui ad epulandum cum Pacis amatoribus arcessatur.

v. 233. Στρυμόδωρε. Cuius nomen, quum in parodo Lysistratae 259 obveniat, satis frequens videtur Athenis fuisse. Praeterea in Acharn. 272 alius quidam eiusdem nominis memoratur. — Κονθυλεῦ: schol. Κονθύλη δῆμος τῆς 'Αττικῆς τῆς Πτολεμαΐδος ἢ Πανδιονίδος. cf. Leake Demen p. 228.

Εὐεργίδης ἆρ' ἐστί που 'νταῦθ' ἢ Χάβης ὁ Φλυεύς;
πάρεσθ' ὃ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἐστὶν, ἀππαπαῖ, παπαιάξ,
ἥβης ἐκείνης, ἡνίκ' ἐν Βυζαντίῳ ξυνῆμεν
φρουροῦντ' ἐγώ τε καὶ σύ· κᾆτα περιπατοῦντε νύκτωρ
τῆς ἀρτοπώλιδος λαθόντ' ἐκλέψαμεν τὸν ὅλμον·
κᾆθ' ἥψομεν τοῦ κορκόρου, κατασχίσαντες αὐτόν.

v. 235. λοιπὸν ἔτ' ἐστίν R. et Ven. sec. Cob. (γ' ἔτ' ἔστιν R. sec. Bekk.) — ἔτ' om. Vat. P. Ald. Iunt. I. ὃ λοιπὸν ἔτ' ἔστιν, ἀπαππαί, παπαί, παππαιάξ Iunt. πάρεσθ' ὃ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἔστ' ἀπαπαί, παπαί, παπαιάξ, atqui in textu: ὃ λοιπόν ἐστιν Brunck.; ὃ δὴ λοιπὸν ἔτ' ἐστὶν, ἀππαπαί, παπαιάξ Invern., ita Hirschig. nisi quod ἀππαπαῖ. Reisig. Coni. p. 231 (cf. p. 120): ὃ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἐστίν, ita Dindorf. Bekker. Bergk. Dobraeus in Adv.: „Lege ὃ δὴ 'στὶ λοιπὸν, vel ὃ λοιπόν ἐστι δή, παπαῖ, παπαῖ, παπαιάξ.“ Possit etiam ὃ λοιπὸν ἔτ' ἐστὶ δή, παπαῖ etc. Bentlei. ἆ παπαί.

v. 237. περιπατοῦντες Ald. Iunt. I metro neglecto et versu sequente, in quo est λαθόντε: quamquam propter idem metrum mox κατασχίσαντες.

v. 239. ἥψαμεν V. vulgo. ἡψέσαμεν Reiskius. Post Brunckium, qui tamen aoristi formam esse dixit, ἥψομεν.

v. 234. Χάβης ὁ Φλυεύς. Monendum, canem postea appellari Λάβης v. 836. Ad Φλυεὺς schol. τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς δῆμος ἡ Φλύη, vel Φλυά, cf. Leake Demen p. 234. Etiam Strymodorus Acharnensium Phlyensis est, neque facere possum, quin Comicum verbi φλυαρεῖν ambiguitate lusisse credam. Ad ἆρ' cf. Herm. Vig. p. 489. 789 et ad Soph. Oed. C. pr. XVII.

v. 236. ἥβης ἐκείνης. Reis. Coni. p. 184 interpungere mavult ἥβης, ἐκείνης ἡνίκ'. Non ita multum differt a vulgata, quod ad sensum attinet; atqui verborum distinctionem talem exemplis confirmare debebat.

ibid. ἐν Βυζαντίῳ: obsidionem Byzantii septem et quadraginta annis ante didascaliam Vesparum factam esse monuit Dind. coll. Thucyd. I, 94.

v. 238. Notandum λαθόντ' ἐκλέψαμεν pro vulgari κλέψαντες ἐλάθομεν.

ibid. τὸν ὅλμον: schol. ὡς ξυλίνου ὄντος τοῦ ὅλμου. cf. ad v. 201.

v. 239. ἥψομεν: cf. Dobr. Advers. ad h. v. et Dind. κορκόρου: schol. λάχανόν τι ἄγριον [καὶ εὐτελὲς] ἐν Πελοποννήσῳ, ὡς (leg. ὅθεν) καὶ ἡ παροιμία· καὶ κόρκορος ἐν λαχάνοισιν, (cf. Hephaest. p. 46). Ipsum hoc εὐτελείας pristinaeque, quae tum periit, abstinentiae signum, quod vilissimo olere vesci contenti fuerunt. Proverbio autem nostrates utuntur simili, ut: Vnkraut unter dem Waizen, vel: Mäusedreck im Pfeffer, vel etiam: Saul unter den Propheten.

ibid. κατασχίσαντες de fisso mortario ligneo intelligendum est, non de olere, ut Flor. Chr. exposuit, scisso interque convivas duos distributo.

ἀλλ' ἐγκονῶμεν ὧνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυνί·
σίμβλον δέ φασι χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν.
χθὲς γοῦν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ' αὐτόν, ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκησεν. ἀλλὰ
σπεύδωμεν ὧνδρες ἥλικες, πρὶν ἡμέραν γενέσθαι.
χωρῶμεν, ἅμα τε τῷ λύχνῳ πάντη διασκοπῶμεν,
μή που λίθος τις ἐμποδὼν ἡμᾶς κακόν τι δράσῃ.

v. 240. ὧνδρες R. V. Δ. Bekk. Dind. Hirsch. Bergk. ἄνδρες vulgo.
v. 241. ἔμβολον pro σίμβλον Suid. s. v.
v. 242. χθὲς οὖν vulgo. χθὲς γοῦν G. Herm. de choro Vesp. p. 6.
v. 244. κολουμένους ante Bekkerum, κολωμένους recentiores, praeeunte Porsono ad Brunck. Eq. 456; cf. Bergk. Rel. Com. p. 411 propter Hesychii glossam. — χολουμένους Scalig.
ibid. ἠδίκησεν vulgo, quod aptum est de re aliquot annis ante gesta. Bergk. Rel. Com. p. 411 scripsit ἠδίκηκεν, idem aut coniecit aut recepit Cobet. Mnem. l. l. — ἀλλὰ γὰρ vulgo. γὰρ delevit Pors.
v. 247. λίθος τις V. sec. Cob. G. Herm. Bergk., quod recepi. Vulgo λαθών τις ἡμᾶς ἐμποδών. Brunck. et Porson ἡμᾶς τις. Recentiores ex

v. 240. Λάχητι: schol. ἢ δίκη ἢ τιμωρία (utrumque) ἢ τοιοῦτόν τι. τοῦτο δέ φησιν, ὡς τοῦ Κλέωνος εἰς δίκην ἐπαγαγόντος τὸν Λάχητα. στρατηγῆσαι δὲ αὐτόν φησι Δημήτριος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους (Εὐκλείδου, Ol. 88, 2; Thuc. III, 86) πρὸ τριῶν ἐτῶν (immo πρὸ δ') εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνοις βοηθήσοντα. οἱ δὲ περὶ τὸν Φιλόχορον (Muell. fr. I p. 401) διαδέξασθαι αὐτόν φασι Σοφοκλέα καὶ Πυθόδωρον, οὓς καὶ φυγῇ ζημιωθῆναι. εἰκὸς γοῦν μετακληθῆναι αὐτὸν ἐπὶ τὴν κρίσιν, ἧς νῦν ὁ κωμικὸς μνημονεύει. De Lachete cf. Bergk. Rel. Com. p. 84 et ap. Mein. Com. II p. 1116; Mein. Com. II p. 538; Elmsl. Ach. 606; interpretes, inprimis Droysenium in praef. Vesp. Comicus Lachetem non minus quam Cleonem, Lamachum, alios videtur odio perpetuo persequutus esse.

v. 241. σίμβλον: schol. αἱ θῆκαι, ἔνθα αἱ μέλισσαι ἀποτίθενται τὸ μέλι. tum: ὁ αὐτὸς (Laches) δὲ καὶ ὡς φαλακρὸς κωμῳδεῖται. cf. Mein. Com. II p. 538.

v. 242. χθὲς dicit, licet annis praeterlapsis quattuor. Atqui odium semper forte. schol. ταχέως.

v. 242. ὁ κηδεμών: vid. Proleg. p. 97.

v. 243. τριῶν ἡμερῶν: schol. παρὰ τὸ κηρύττεσθαι σιτία ἡμερῶν τριῶν τοῖς στρατιώταις. ἔπαιξε. Comparat Berglerus Pac. 312. σιτία τριῶν ἡμερῶν triplicem unius diei victum, ὀργὴ igitur τρ. ἡμ. iram triplicem significat: trium dierum enim iram in unum diem conferunto, quo acrius atque acerbius iudicent. — Ad ἐπ' αὐτὸν cf. Valcken. Phoen. 79.

v. 247. Senes viam pueros collustrare iubent, non quod ab hominibus

ΠΑΙΣ. (ΠΑΙΔΕΣ)

τὸν πηλὸν ὦ πάτερ, πάτερ τουτονὶ φύλαξαι.

ΧΟΡΟΣ.

κάρφος χαμᾶθέν νυν λαβὼν τὸν λύχνον πρόβυσον.

ΠΑΙΣ. (ΠΑΙΔΕΣ)

οὒκ, ἀλλὰ τῳδί μοι δοκῶ τὸν λύχνον προβύσειν.

ΧΟΡΟΣ.

τί δὴ μαθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς;
καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος ὠνόητε.

cod. R. V. τις ἐμποδὼν ἡμᾶς. cf. Herm. El. d. m. p. 514. Reis. Coni. p. 277 coni. λίθων τις, quo, comparato Eur. Phoen. 91, που λίθων ad πολιτῶν tragici alludere monet.

v. 248—272. Tetrametros iambicos veterum editionum Brunckius, praeeuntibus Flor. Chr., Bentleio, aliis, iambico-trochaicos reddidit. Voculas afferre, quas eiecerunt viri docti, taedet.

v. 249. χαμᾶθέν νυν recentiores omnes. G. Herm. e Ven. recepit χαμόθεν atque ex Aldina, de cuius interpolationibus vid. Brunck., restituit σύ: κάρφος σὺ χαμόθεν νυν λ., χαμάθεν Ald. Iunt. Kust. Brunck. — ib. πρόμυξον Scal.

v. 250. προμύσσειν Flor. Chr. Scal. προβύσσειν ante Brunck. προβύσειν B. C.

v. 251. τί δὴ παθὼν Elmsl. Ach. 826. cum Florente Chr.

v. 252. ὠνόητε R. Dind. Bergk. ὦ 'νόητε B. Δ. vulgo; quod melius est;

malignis se defendant, sed ne lapidibus malignis impingant pedum digitos. Itaque pueri, lutum ut caveant patres, primum clamant.

v. 248. De puerorum numero vid. Prol. p. 51 sqq. Sex numero fuisse Dind. ad v. suspicatur. De versuum ratione cf. Fritzsch. Thesm. praef. XV. et Brunck. ad v. Mireris, quod addit scholiasta: παρέπονται αὐτοῖς παῖδες λύχνον φέροντες (καὶ πιθανῶς, ἵνα ἡ ὀρχήστρα πληρωθῇ), quasi chorus prodire consuerit ad orchestram implendam.

v. 249. κάρφος: Lys. 474 κινοῦσα μηδὲ κάρφος minimum quodque significat, ut nostrates: kein Haar rühren.

ibid. χαμᾶθεν Eupolis apud Diog. L. IX, 50 (Mein. Com. II p. 490) τὰ μετέωρα opponit τοῖς χαμᾶθεν.

ibid. πρόβυσον: schol. πρόμυξον, ἐκ τῆς μύξης προάγαγε. Senes enim aliquot passus progressi, non satis, quamquam lucernis circumdati, quid ante pedes sit, cernunt. Itaque a pueris admoniti hortantur, ut lucernas emungant, quo meliorem lucem edant. v. 251 ὠθεῖς idem valet quod προβύσειν.

v. 250. τῳδί: schol. τῷ λιχανῷ δακτύλῳ. His autem verbis auditis, senes pueris dum socordiam exprobrant, etiam pugnis eos acrius commonefaciunt.

v. 252. σπανίζοντος: Nub. 1285 σπανίζεις: penuria premeris.

οὐ γὰρ δάκνει σ', ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι.

ΠΑΙΣ. (ΠΑΙΔΕΣ)

εἰ νὴ Δί' αὖ τοῖς κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς,
ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὖθις·
κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουὶ στερηθεὶς
τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.

ΧΟΡΟΣ.

ἦ μὴν ἐγώ σου χἀτέρους μείζονας κολάζω.
ἀλλ' ουτοσί μοι βόρβορος φαίνεται πατοῦντι·
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐχ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον

aut ὠνόητε scribendum. — σύ, quod in fine versus legebatur, delevit Flor. Chr. Bentleius.

v. 254. αὖθις vulgo. αὖ τοῖς Cob. Mnem. l. l. p. 424, ne κονδύλοις articulo careat; tum idem versu seq. αὖθις pro αὐτοί.

v. 259. βόρβορος vulgo. μάρμαρος G. Herm. et Bergk. In Veneto est βάρβαρος. cf. Cob. V. L. p. 283.

v. 253. τίμιον: care, grandi pecunia; hoc sensu aliquoties in fragm. Comicorum exstat, cf. Ind. ap. M. C. V s. v.

v. 254. Ad νὴ Δί' cf. Reis. Coni. p. 256, ad κονδύλοις νουθετήσετε comp. Eq. 1236 κονδύλοις ἡρμοττόμην (Bergl.), νὴ τοὺς κονδύλους iurat isiciarius Eq. 411.

v. 257. τυρβάσεις: schol. ταράξεις. ὁ δὲ ἀτταγᾶς — τερπόμενον ἐν τοῖς πηλώδεσι τόποις καὶ τέλμασιν. Avem depinxit Noster Av. 244 sqq. et 760 sq., v. schol.; eundem ex Aristotele aliisque Flor. Chr., cf. Arist. ap. Athen. IX, 387 f. Mein. Com. II p. 1127. Nostro loco non solum cum ave palustri senes comparantur, sed inest quoque sonorum lusus ἀτταγᾶς et ἄττα. Quin etiam avis comparatur, quod senes cruribus ingredi tenuibus solent gressuque trepido atque infirmo.

v. 258. κολάζω: schol. ἐν τῷ δικαστηρίῳ. — ἦ μὴν hoc loco optime reddas: noli mirari (nimirum); nos: gieb dich zufrieden! vel: ei was! Aliter v. 277.

v. 260. κοὐκ ἔσθ' — τὸ πλεῖστον: schol. ἀντὶ τοῦ εἴσω ἡμερῶν τεσσάρων πάντως ὑετὸς γίγνεται. Ita interpretes de quattuor proximis diebus dictum esse intelligunt omnes. Elmslei. Acharn. 782 vertit: quatriduo ad summum, quod Dind. recepit. Fritzschius ad Arist. Thesm. 806: quattuor abhinc diebus: cf. Fr. de parabasi Thesmoph. p. 21. — G. Herm. de choro Vesp. p. 7, quum μάρμαρος legi iusserit, haec: „At quomodo hic senex, altero ut lutum vitaret monito (non altero quidem sed toto opinor choro), ἀλλὰ dicere potuit? quomodo, quod gravius est, si et ipse se in luto incedere sentit, non pluisse potius, quam intra quartum diem futurum esse pluvium

ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι.
ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες·
φιλεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα.

v. 262 et 263 G. Herm. puero dedit, quippe quorum fuisset lucernas observare, ut lucernas gestantium. Quod quidem ad distributionem suam perficiendam coniicere cogebatur.

v. 263. ὅταν ᾖ τουτί vulgo. ὅτ' ᾖ Bentl. ὅταν τοῦτ' ᾖ Flor. Chr. coniiciebat quod receperunt Dind. Bergk.

dicere? Immo durum sibi atque arefactum solum videri dicat necesse est." Quorsum tandem supra πηλὸς et ἀτταγᾶς? Verumtamen unum quoddam hac interpretandi ratione praetermissum est. Senes enim, ubi caenum vident a se calcatum, meminisse quoque dierum consentaneum est, quibus proxime pluebat. Quorum dierum numerum quum, ut par est hodieque et naturae conveniens humanae, memoria non tenerent, dicunt ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον; i. e. iam quartum hunc diem. „Maxime necesse est Deum fecisse pluvium iam quartum hunc diem; scilicet: tantum ego video luti et culco" cf. v. 490 πεντήκοντ' ἐτῶν, Lys. 280 ἓξ ἐτῶν ἄλουτος. Iam sequitur altera senum observatio: Neque cessabit pluere, quum fungos in lucernis increvisse videam. Itaque ex hac mea explicatione senes duas res exponunt, τὸν βόρβορον lutum et τοὺς μύκητας fungos; utramque coniectando et senilem in modum disserendo pluribus. — De genetivo temporis vid. K. W. Krügeri Gramm. § 47, 2. Denique hoc loco formam ποιῆσαι respicere debemus, quae nusquam mutata est in ποιήσειν. Sunt quoque interpretes, qui τὸ πλεῖστον coniungant cum ὕδωρ, ut Kusterus et Berglerus. Non male, quamquam non multum differunt a reliquis: „Necesse est Iovem per quattuor dies plurimam fecisse pluviam." — Hinc legerim quoque ἔπεισι δ' οὖν: iam vero, saltem; de quo vid. ad v. 6.

v. 261. Ad ἀναγκαίως ἔχει Bergl. comp. Eurip. Cycl. 32, Helen. 1415, Ar. Pac. 334. Addo Antiphanem ap. Stob. Flor. 124, 27. (Mein. Com. III p. 29) et Diphilum ap. Athen. VI, 227 e (Mein. Com. IV p. 389).

v. 262. μύκητες: schol. φασὶν ὅτι ὑετοῦ μέλλοντος γενέσθαι οἱ περὶ τὴν θρυαλλίδα τοῦ λύχνου σπινθῆρες ἀποπηδῶσι κτλ. (cf. Arat. 976) — Τινὲς δέ φασι τὸν μύκητα ζωΰφιόν τι εἶναι λεπτότατον πάνυ σκνιφὶ ἐοικός, ὃ — περὶ τὸν λύχνον ἵπταται, θέρμης ἐπιθυμοῦν καὶ περικροῦον ἐν τῷ λύχνῳ ποιεῖ σπινθῆρας. ὅθεν τεκμαίρονται τὸν ὑετόν. cf. Callim. fr. 47. Mein. Com. III p. 356. Aliam verbi μύκης signif. vid. in Indice ap. Mein. V s. v. μύκης. Boeckh. C. I. I p. 134.

v. 263. Dixi de hoc versu in Proleg. p. 117 not. Neque debebat Hermannus Hirschigii non dicam sententiam sed condemnationem probare. Sed operae pretium est, ut cognoscatur, qua ratione Hirschigius et emendaverit et explicaverit poetam, verba ipsius ad h. v. afferre: „Facile quisque mecum delendum esse hunc ver-

δεῖται δὲ καὶ τῶν καρπίμων ἅττα μὴ 'στὶ πρῷα
ὕδωρ γενέσθαι κἀπιπνεῦσαι βόρειον αὐτοῖς.
τί χρῆμ'· ἄρ' οὐκ τῆς οἰκίας τῆσδε συνδικαστὴς
πέπονθεν, ὡς οὐ φαίνεται δεῦρο πρὸς τὸ πλῆθος;
οὐ μὴν πρὸ τοῦ γ' ἐφολκὸς ἦν, ἀλλὰ πρῶτος ἡμῶν
ἡγεῖτ' ἂν ᾄδων Φρυνίχου· καὶ γάρ ἐστιν ἀνὴρ
φιλῳδός. ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ' ὦνδρες

v. 264. πρώια R. V. Invern. πρώιμα Ald. Iunt. Kust. πρῷμα Scaliger. Bentl. Brunck. πρῷα Porson. recentiores. cf. Bekk. Anecd. p. 61, 17. et Lob. Phryn. p. 52 (Dind.). Bergk. ap. Mein. Com. II p. 1103.

v. 267. ὡς οὐ libri; ὥστ' οὐ Cobet. Mnem. l. l.

v. 269. ἂν ᾄδων R. ἀνάιδων Ven. sec. Cob. ἀνᾴδων Ald. Scalig. Kust. Bergl. ἀναείδων Suid. s. v. ἐφολκία. ἂν ᾄδων Bentl. Reisk. Dawes. Misc. Cr. p. 267. Brunck. recentiores; cf. K. W. Krügeri Gr. §. 53. 10, 3. Herm. Vig. p. 485.

ἀν ἀδων (sic) Iunt., quae Φυνίχου habet ut Aldina, item utraque v. 220 — φυνιχήρ., at Frob. φρυν.

sum iudicanti assentietur. Tam ineptus est et Aristophane plane indignus, ut vehementer dubitem, num alter turpior in Aristophane indicari possit. At non attinet, repetere argumenta, quae ad hanc fratris mei W. A. H. sententiam confirmandam nuperrime scripsit amicus, iisque potius supersedeo." Hactenus ille: ad quae vide quid Comicus respondeat, Thesmoph. 48. — Ceterum Dind. comp. Iacobs. ad Anthol. I p. 164. Oudendorp. ad Appulei. I p. 117. Cf. I. H. Voss. Virg. Georg. I, 390 sqq.

v. 264. Ex hoc versu et sequenti colligas, Vesparum fabulam non Lenaeis sed magnis Dionysiis actam esse. Vid. Proleg. p. 27.

v. 265. βόρειον videtur ὑποκοριστικῶς dictum esse pro βορρᾶς vel βορέας. Dind. comp. Xen. Cyneg. 8, 1. Hoc autem versu cantato, chorus in mediam orchestram pervenit. Choreutae dextrorsum vertunt primo vultum, deinde corpus totum. Subsistunt enim ante aedes Philocleonis, quem reliquis diebus iam exspectantem sese deprehendere solebant. Temporis igitur aliquantillum praeterlabi oportet, priusquam chorus pergit. Schol. γενόμενοι περὶ τὸν οἶκον τοῦ Φιλοκλέωνος ὑπομιμνήσκονται αὐτοῦ, καὶ μὴ ἑωρακότες αὐτὸν μεθ' ἑαυτῶν διαλέγονται περὶ αὐτοῦ.

v. 268. ἐφολκός: schol. ἐφολκίς· — ἡ λέμβος ἤτοι ἡ μικρὰ ναῦς ἡ ὑφ' ἑτέρας νεὼς ἑλκομένη διὰ βραδυτῆτα (immo διὰ μικρότητα). Nos fere: „Nachzügler."

v. 269. Φρυνίχου scil. μέλος. vid. ad v. 220 et infra v. 1225.

v. 270. De στάντας dixi in Proleg. p. 77 sq. cf. Bergk. Rel. Com. p. 31.

ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν, ἤν τι πως ἀκούσας
τοὐμοῦ μέλους ὑφ' ἡδονῆς ἐρπύσῃ θύραζε.
τί ποτ' οὐ πρὸ θυρῶν φαίνετ' ἄρ' ἡμῖν στρ.
ὁ γέρων οὐδ' ὑπακούει;
μῶν ἀπολώλεκε τὰς
ἐμβάδας, ἢ προσέκοψ' ἐν
τῷ σκότῳ τὸν δάκτυλόν που;

v. 271. ἐκβαλεῖν R. Ald. Iunt. Kust. ἐκκαλεῖν V. Bentl. Dawes. Misc. Cr. p. 266 (vel ἐκκαλεῖσθ'), recentiores. cf. Valck. ad Theocr. Adon. 43 p. 353. (Pors.)

v. 272. ἐξερπύσῃ R. et vulgo ante Flor. Chr., qui emendavit ἐρπύσῃ, probatus etiam Porsono.

v. 274. ἀπολώλεκε vulgo, ἀπολώλεκεν τὰς Dind. Herm., iidem in antistropha ut responderet: ἐξαπατῶν λέγων ὡς | καὶ pro vulgato ἐξαπατῶν καὶ λέγων | ὡς. Scribo v. 281 ἐξαπατῶν τε λέγων θ' | ὡς. cf. Herm. El. d. m. p. 502. Dochmios constituit Hotibius.

v. 274. προσέκοψεν R. V. Invern. Bekk. προσέκοψε Ald. Iunt. Kust. Brunck. προσέκοψ' ἐν Bentlei. Dind. Hirsch. Bergk., affert Poll. II, 199.

v. 275. εἶτ' ἐφλέγμηνεν αὐτοῦ vulgo. Versus antistrophae διὰ τοῦτ' ὀδυνηθεὶς et ipsius strophae varie tentati. ἐπεφλέγμηνεν ἂν Reis. C. p. 51. λίθῳ, εἶτ' ἐφλογώθη Herm. l. l. p. 8. Probo Bergkii coniecturam, licet Engero in censura libri Bergkiani (Iahrb. f. Phil. T. 68. H. 2 et 3) non probetur: ἐπεφλέγμηνε δ' αὐτοῦ, in quam ipse dudum incideram. Cui ut antistrophicus respondeat, scribendum διὰ τόνδ' ὠδυνήθη | κᾆτ' ἴσως κεῖται πυρέττων. vid. Proleg. p. 77. Bentlei. εἶτα φλεγμήνει' ἂν αὐτοῦ.

